



600009194T










ELEMENTORUM
GRAMMATICAE LATINAE
LIBRI DUO.

SCRIPSIT

FRANCISCUS RITTER DR.
WESTFALUS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA LITTERAS GRAECAS
ET LATINAS PRIVATIM DOCENS.



BEROLINI,
IMPENSIS FR. NICOLAI.

MDCCCXXXI.

FRANCISCUS RITTER

ALOYSIO CAPELLMANNO

SALUTEM.

Accipe, *Capellmanne*, quicquid ad illustrandam grammaticam Latinam duobus hisce libris potui conferre. Sed ad ipsam eorum lectionem antequam accedas, cur ea potissimum artis grammaticae capita, in quibus de accentu sermonis Latini et de prosodia quaeritur, mihi sumpserim explicanda, paucis me enarrantem audias quaeso. Iam fere quattuor effluxerunt semestria studiorum curricula, posteaquam in alma nostra universitate Fridericia Wilhelmia Rhenana quum de aliis antiquitatis Graecae et Latinae disciplinis lectiones coepi habere, tum de utriusque linguae ratione grammatica non sine magno audientium favore exposui. Quo in negotio quum plures Latinae grammaticae locos nequaquam adhuc satis esse explicatos aliquando professus essem simulque multis exemplis commonstrassem: iuvenes docti ac diligentes, grammaticae Latinae doctrinam a me in lectionibus propositam ut scripto traderem atque ederem, identidem me rogabant. Ab eo

instituto quamvis non plane abhorreret animus: longum tamen temporis spatium ad opus tam grave et amplum suscipiendum ac digne perficiendum requiri probe intelligebam. Sed quum aliqua certe ex parte vellem satisfacere optimorum iuvenum studiis et optatis, quumque ad colenda rectissima et honestissima linguae Latinae studia quid praestare pro virili parte possem, usu experiri cuperem: interim eos grammaticae Latinae locos nova ratione exponendos putavi, quos accurata explicatione adhuc imprimis caruisse iudicabam. Nam de his qui ante me disseruerunt, eorum nonnulli pauca tantum veterum grammaticorum praecepta nobis rettulerunt, aliis eorundem divitias larga manu, sed satis inconcinne placuit profundere, alii, dum contemnunt veterum testimonia aut iisdem abutuntur, multa inania excogitaverunt. Qui ratione ac via disputaverit, reperio neminem. Quapropter non mirum tibi videbitur, *Capellmanne,* me paullo parcius ad novorum grammaticorum libros ablegasse lectores, quippe quos inde ad hanc rem penitus perspiciendam parum posse proficere persuasum haberem. Uberiorem fructum percepi ex illis, quae duumviri illustrissimi, *Godofredus Hermannus* et *Augustus Boeckhius*, in libris suis de metrorum doctrina conscriptis quamvis breviter et quasi aliud agentes de hoc argumento explicaverunt. Aliorum errores, in accentus explicatione praecipue commissos, brevius perstringere fortasse consultius fuerit. Sed quum viros ingeniosos quod non satis explorate perceptum esset et cognitum sine ulla dubitatione proposuisse, alios autem ab in-

genio et doctrina minus instructos horum inventa vel inepte laudasse vel temere propagasse, viderem, quum denique Plauti Terentiique crisin magnam partem inde pendere intelligerem: ad uberrimum errorum fontem et inveniendum et obstruendum accurata et copiosa quaestio instituenda videbatur, ut ad corrumpendas veterum comicorum fabulas via tandem aliquando intercluderetur. Qua in re satis impedita si quid me adiuvisse viri eruditi agnoscent: id quidem haud parvi pretii existimandum arbitror. Verum enim vero longe gravius illud mihi est visum ac summo opere expetendum, ut res explicandae non solum ex historiae documentis cognosci atque edisci, sed ex iis argumentis, quae tota linguae condicio et conformatio suppeditaret, mente comprehendi atque intelligi possent.

Ceterum tua, *Vir amicissime*, opera factum est, ut hic liber iam in publicum prodeat. Nam quum ad edendum omnia essent parata, ecce novae difficultates oboriebantur: nostrae enim regionis Sosii aut rei expositae non multum tribuebant, aut accentiunculas istas verbis impositas ac typis haud facile excudendas tamquam canes rabiosas profugiebant. Qua repulsa commotus quum librum meum in scrinia vellem retrudere: subito, ut iam abiectam eius edendi curam iterum in me susciperem, Berolino venit impulsus mihi acceptissimus tibique notissimus. Scilicet *Augustus Meinekius*, quem nostrum uterque propter praeclarum, quo pollet, ingenium et doctrinam plane singularem maximi facere, propter humanitatem vero diligere et amare gaudet, is igitur vir quum rogatu tuo hanc scriptio-

nem meam lubentissime se perlecturum pollicitus esset, equidem a te hoc nuntio excitatus eam Berolinum paratissimus ad te misi; quumque *Meinekius* iudicium de hoc meo libello satis splendidum pronunciavisset, tu, *Capellmanne*, redimendi condicione facile pacta eius editionem continuo adornasti. Fausto igitur omine prodeat liber Meinekio probatus, tibi autem, amice, dono oblatus et commendatus. Bene vale et me dilige.

Dab. Idib. Mai. a. 1831. Bonnae ad Rhenum.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

ACCENTUS LATINI DOCTRINA.

APPENDIX.

LIBER SECUNDUS.

PROSODIAE LATINAE DOCTRINA.

LIBER

LIBER PRIMUS.

ACCENTUS LATINI

DOCTRINA.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

DE ACCENTUS VI ET NATURA GENERATIM.

Duplicem esse cuiusque syllabae sive litterae vocalis ei subiectae inter pronunciandum mensuram, unam, qua eius longitudinem, alteram, qua eiusdem altitudinem dimetiamur, tam certum est, ut neque infirmari id possit dubitatione, neque approbatione egeat anxie eruenda. Alia enim metiendae syllabae ratio neque invenitur neque excogitari ab ullo potest, nisi forte quorundam veterum grammaticorum sententiae, qua illi syllabarum latitudinem spiritu definiri argute statuunt, quicquam tribuendum putamus. Syllabae autem longitudo definitur tempore, intra quod ea pronunciatur; quod tempus sive mora si est simplex, brevem vocamus eam syllabam, sin duplex, longam. In hac metiendae syllabae ratione nullam inesse accentus vim apparet; tota enim ad tempus refertur. Quod quum ita sit, quumque accentu mensuram quandam syllabarum contineri ab omnibus concedatur: secundam illam syllabarum mensuram, h. e. altitudinem, accentu sive sono, neglecta omni temporis ratione, contineri ac definiri continuo inde consequitur. Altitudinis autem gradus quum permulti in pronun

ciandis syllabis et cogitari et vero humana voce efferri possint, communi tamen hominum sensui duo potissimum offerre se sua sponte solent, videlicet elatior unus, depressior alter. Idem simili modo in syllabarum longitudine sive quantitate videmus accidere: nam longitudinis quum innumeri gradus et cogitari et hominis voce exprimi queant, lingua tamen multarum gentium duo tantum ea discrimina admisit, quae et a communi hominum sensu sine ulla difficultate perciperentur, et in vulgari pronunciatione facile discernerentur, h. e. syllabas lingua distinxit breves et longas. Duo igitur potissimum altitudinis gradus quum in syllabis vocabulorum animadvertantur, elatus et depressus, duo etiam accentus vel soni reperiuntur, quorum alter elatiorem pronunciandi gradum efficit, alter depressiorem. Prior acute ad aures solet accidere easque brevi temporis spatio multum afficere et quasi stimulare, ac propterea sonus acutus (τόνος ὀξύς) vocatur: alter quadam cum gravitate ad aures accedens longiore temporis intervallo eundem sensum non magnopere afficit, et inde sonus gravis (τόνος βαρύς) appellatur [1]). Quae quidem enunciandi discrimina voce humana proferri solita signis ita notare placuit grammaticis, ut sonum acutum hac nota ', gravem

1) De natura eius, quod in sonis acutum et grave dicatur, et quomodo id differat ab eo, quod tardum et celere appellamus, optime exposuit Aristoteles *de anima* II. c. 8. p. 37, 22. editionis minoris Bekkerianae: ταῦτα δὲ (scil. τὸ ὀξὺ καὶ τὸ βαρὺ τοῦ ψόφου) λέγεται κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τῶν ἁπτῶν· τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ κινεῖ τὴν αἴσθησιν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ἐπὶ πολύ, τὸ δὲ βαρὺ ἐν πολλῷ ἐπ' ὀλίγον. οὐ δὴ ταχὺ τὸ ὀξύ, τὸ δὲ βαρὺ βραδύ, ἀλλὰ γίνεται τοῦ μὲν διὰ τὸ τάχος ἡ κίνησις τοιαύτη, τοῦ δὲ διὰ βραδυτῆτα. καὶ ἔοικεν ἀνάλογον ἔχειν τῷ περὶ τὴν ἁφὴν ὀξεῖ καὶ ἀμβλεῖ· τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ οἷον κεντεῖ, τὸ δ' ἀμβλὺ οἷον ὠθεῖ διὰ τὸ κινεῖν τὸ μὲν ἐν ὀλίγῳ, τὸ δὲ ἐν πολλῷ, ὥστε συμβαίνει τὸ μὲν ταχὺ, τὸ δὲ βραδὺ εἶναι.

hacce [1] indicarent, per priorem vocis ascensionem consignaturi, per posteriorem eiusdem descensum. Eadem discrimina, quae in linguae sonis reperiri vidimus, in sonis instrumentorum musicorum ac praecipue in chordis animadvertuntur: nam chorda fortiter tensa acutum sive elatum sonum emittit, laxe intensa gravem sive depressum. Qua de causa varia haec chordarum intensio ipsa τάσις ὀξεῖα et βαρεῖα appellatur, quae nomina apud antiquos scriptores ad vocis et linguae sonos translata inveniuntur, verbi causa apud Dionysium Halicarnasseum *de compos. verb.* c. XI. p. 126. ed. Schaefer.: οὐ μὴν ἀπαιτεῖ γε λέξις — ἐπὶ τῆς αὐτῆς λέγεται τάσεως, ἀλλ' ἡ μὲν ἐπὶ τῆς ὀξείας, ἡ δὲ ἐπὶ τῆς βαρείας. Conf. Aristid. Quintil. p. 8. ed. Meibom. Eadem est translatio, quum διατείνειν συλλαβήν sive διατείνειν φωνήν dicitur. Quae vocabula ut recte ab instrumentis musicis ad linguae sonos translata sunt, sic etiam nomen προσῳδίαι sive *accentus* a cantu ad linguae sonum acutum et gravem scite translatum esse apparet: quippe in ipsa pronunciatione et lectione inest musica quaedam, quae tota accentibus continetur. His enim remotis omnis simul linguae suavitas tollitur, ac restat dissonus brutorum animalium strepitus. Accentus autem dum incultis ac rudibus sonis accinuntur, lingua dulcis et grato cantui quodammodo similis evadit. Conf. Aristoxenus *Elementis harmon.* p. 18. ed. Meibom. [2]), Cicero *Oratore* c. 18. [3]), Diomedes II.

---

2) Λέγεται γὰρ δὴ καὶ λογῶδές τι μέλος, τὸ συγκείμενον ἐκ τῶν προσῳδιῶν, τὸ ἐν τοῖς ὀνόμασι· φυσικὸν γὰρ τὸ ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι.

3) *Ipsa — natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem.*

p. 425. ed. Putsch.[4]), Boeckhius *de metris Pindari* p. 51. Vocabulorum igitur accentus quum ad sonum elatum ac depressum, quo quaevis syllaba effertur, referendus sit, quumque soni acuti s. elati et gravis s. depressi ratio in ea artis musicae disciplina, quae appellatur harmonica, explicetur, accentus quoque rationem quodammodo ex harmoniae legibus repetendam esse inde consequitur.

Dulce illud et suave, quod conciliari per accentum linguae vocabulis constat, tum demum efficietur, si sonus acutus et gravis invicem se excipiunt; tunc enim utroque per continuam pronunciationem coniuncto existit harmonia sive concentus, qui sonis duobus sive acutis sive gravibus continuo se excipientibus violatur ac tollitur. Quapropter ita comparata est vox humana, ut ubi acutum sonum protulerit sponte gravis sequatur, et ubi gravem acutus. Prioris generis exempla sunt *mêus*, *tûus*, posterioris τινός, ἒάν: in illis vox a sono elato ad depressum descendit, in his a depresso ad elatum ascendit. Tales syllabae si coalescunt, simul concrescunt soni, et sic ex *siês* nascitur *sîs*, ex ἐὰν η̌ν, quod scribimus tamen ἢν. Notam ∧ et sonum ea indicandum grammatici Latini *flexum* sive *circumflexum* appellant, Graeci περισπώμενον, quum intelligunt τόνον, περισπωμένην autem, ubi cogitando addunt προσῳδίαν. Qui quamvis nullo modo pro peculiari sono habendus sit, quippe qui ex acuto et gravi in unum coniunctis constet[5]), non

---

4) *Accentus dictus est ab accinendo, quod sit quasi quidam cuiusque syllabae cantus: apud Graecos ideo* προσῳδία *dicitur, quod* προσᾴδεται ταῖς συλλαβαῖς.

5) Conf. Dionys. Halicarn. *de compos. verbor.* c. XI. p. 126.: τῶν δὲ (scil. λέξεων) ἀμφοτέρας τὰς τάσεις ἐχουσῶν αἱ μὲν κατὰ μίαν

tamen incommodum est sive nomen sive signum. Perfectissimus autem per sonum circumflexum nascitur concentus, quum eo acutus et gravis artissime coniungantur: arte enim coniunctis acuto (τῷ ὀξεῖ) et gravi (τῷ βαρεῖ) et quasi concretis perfecta existit ἁρμονία sive concentus. Conf. Plato *Convivio* p. 187. a. et b. Nam ea est concentus natura et ratio, ut quae ante gravia et acuta ideoque sibi opposita ac secum pugnantia essent, ita misceantur coeantque, ut omnis discordia amoveatur ac summa concordia reconcilietur. Hoc fieri in syllaba circumflexa proferenda apparet: sed in iis etiam vocabulis, in quibus momentum acutum et grave disiunctum est, ut in *meus* et αὐλός per continuam pronunciationem grave acutumque coniungi ac misceri nullo negotio intelligitur auribusque facile percipitur. Paullulum diversa ea est ratio, si vox primum a gravi sono ad acutum ascendit ac tum ab acuto descendit ad gravem, hunc in modum \ / \, ut in *meumque*, [illegible] τασόσδε, ὀλίγος [6]). In his etiam servari harmoniam sive concentum patet: per continuam enim pronunciationem illud grave et acutum \/, ac rursus acutum et grave /\ miscentur atque coalescunt. Sed summa illa harmoniae lex, quae excipi acutum a gravi et grave ab acuto praescribit, tunc quoque servatur, ubi vox humana in pronunciandis vocabulorum syllabis a sono elato ad minus elatum et inde ad gravem descendit; quem pronunciandi modum notis ita

---

συλλαβὴν συνεφθαρμένον ἔχουσι τῷ ὀξεῖ τὸ βαρύ, ὡς δὴ περισπωμένας καλοῦμεν. Conf. Quintil. I, 5, 31.

6) Accentus gravis notam et veterum et novorum grammaticorum exemplo in vocabulis ad rem illustrandam allatis plerumque omisi, quamvis hunc meram accentus acuti esse negationem minime agnoscam.

designe ⏑⏑⏑: secundae enim syllabae sonus gravis est, si ad primae sonum, acutus, si ad tertiae comparatur. Talium vocabulorum exempla sunt *ánimus, dóminus, dúbius*. In quibus si duae syllabae priores in unam coalescunt, soni quoque concrescunt, ac tum forma ⏑⏑⏑ in hanc — ⏑ mutatur; itaque *deemit* in *demit*, *seemit* in *sumit*, *coagit* in *cogit* transeunt. Contraria soni ascendendi ratio quum in Latina lingua non inveniatur, eius exempla Graeca placet afferre, ἀγαθός, ὁμαλός, λεκτικός, quem vocis ascendendi modum notis ita designaverim ⏑⏑⏑. Haec forma transire quidem potest in hanc ⏑ —, v. c. ἀοιδός in ᾠδός, sed grammatici signum v non receperunt atque eiusmodi syllabas cum solo acuto notasse contenti fuerunt. Postremo utraque vocis ascendendi ac descendendi ratio ita in eodem vocabulo potest coniungi, ut utrinque per duo intervalla ascendatur ac descendatur, hunc in modum ⏑⏑⏑⏑⏑. Exempla sint *muliébriter*, *meminérimus*. Forma ⏑⏑⏑⏑⏑ contractis syllabis et sonis aut in hanc ⏑⏑ — ⏑ aut in hanc ⏑ — ⏑⏑ transire potest: prioris exempla sunt *adamâmus*, *afferâmus*, posterioris *amábimus*, *inaedimus*. Servari in hisce formis compositis quemadmodum in simplicibus summam harmoniae legem apparet. Simili quidem modo in hoc descendendo et ascendendo progredi etiam longius posses vocabulumque quoddam ita pronunciare, ut sonus acutus cadat in quartam a fine syllabam sive (quod est idem) flexus in tertiam, hunc in modum ⏑⏑⏑⏑ sive — ⏑⏑. Sed haec pronunciandi ratio quamvis et cogitari possit et voce humana exprimi, illud tamen habet incommodum, ut ea tali descensione, ab elato sono ad depressum per tot intervalla cadente, ad cantum quam proxime accedat: qua-

propter quum a plurimis linguis, tum a Romana, ut videbimus, haec pronunciandi ratio sedulo repudiata est. Conf. Boeckhius *de metris Pindari* p. 53. Sed dicat aliquis, in ascendendo saltem linguas progredi longius, quam modo definitum est; dici enim non solum λεκτικός, sed etiam διαλεκτικός, et eiusmodi innumerabilia. At vero in huiusmodi longioribus vocabulis plures poni accentus, quamvis a scriptoribus et grammaticis antiquis hoc negetur, egregie perspexit Hermannus et recte agnovit Boeckhius *de metris Pindari* p. 54.

Exposita accentus acuti et gravis natura, nonnulla de utriusque mistione sive adiicere sive repetere placet. Quum quaevis longa syllaba aut composita sit ex duabus brevibus, aut tempore saltem duabus brevibus aequalis, duplici ea inter pronunciandum sono effertur, aut acuto gravique (´`), aut gravi acutoque (`´), prout pronunciantis vox vel ascendit vel descendit. Itaque ubi acutus in priore longae syllabae mora positus est, altera eius pars s. mora gravi cum sono proferri debet. Hoc et auribus exigere et oculis aspicere licet in vocibus νόος et *siēs*, unde contractis syllabis sonisque coniunctis fit νοῦς (νοῦς) et *sîs*. Eadem mistione ex ⏑́⏑̀⏑̀ fit –̂ ⏑̀, ex ⏑̀⏑́⏑̀⏑̀ fit ⏑̀ –̂ ⏑̀, v. c. ex *fleïmus* contractione syllabarum et sonorum natum est *flémus*, ex *neïmus nêmus*, ex *amaïmus amâmus*, ex *salíimus salîmus*. Sin autem depresso s. gravi sono prior longae syllabae mora profertur, et elato altera excitatur, in sonum flexo contrarium gravis et acutus coalescunt; transit igitur forma ⏑̀⏑́ in –̌ et ⏑̀⏑́⏑̀⏑̀ in –̌ ⏑̀⏑̀ h. e. ἐάν fit ἦν, *deemitis demǐtis*. Sed grammatici nota ˇ repudiata tam ἦν quam *démitis* scribunt, ne accentus signa nimis multa

adhibeantur. Supprimi enim in ἦν et *démitis* prioris morae accentum gravem, quod Boeckhius *de metris Pindari* p. 52. (cf. p. 47.) statuit, quomodo fieri possit aut qua de causa fieri debeat, equidem non video. Scilicet in scribendo prioris morae accentus gravis omittitur; at in pronunciando tenetur, quum quaevis longa syllaba duobus sonis ipsa natura duce proferatur. Ex hisce consequitur, syllabam longam accentuque excitandam aut flexum in se positum habere aut acutum, hunc autem nunquam in priore sua parte s. mora collocatum, sed utique in secunda; quapropter forma –́ semper aequalis est huic ◡̀◡́: inde autem apparet eiusmodi formas –́◡◡, –́◡– non hisce ◡́◡◡◡, ◡́◡◡– aequales esse, sed huic ◡◡́◡◡ et ◡◡́◡–: apparet etiam propriam accentus acuti sedem syllabam brevem esse sive longae partem dimidiam. Tantum igitur abest, ut acuti accentus ope longa fiat syllaba brevis, ut is ipse brevem tantummodo sive longae partem excitare possit; quocirca non multum tribuo Hermanni rationi, qua is quarundam syllabarum productiones ex accentu acuto explicare conatus est. Conf. *de metris* I. c. 22. et 23., *de emend. rat. Gr. gramm.* I. c. 13. p. 61. *Element. doctrin. metr.* p. 56. Productiones illae aliunde facilius et verius explicari possunt.

Hoc loco breviter commemorandam existimo quaestionem a quibusdam agitatam, utrum unus sit accentus, an plures, de qua quid sentiam vel ex antecedentibus satis, credo, apparebit. Scilicet haec quaestio prorsus otiosa est et ex rei ignoratione orta. Nam qua accentus harmoniam vocum efficit, unus est idemque, nempe id quo acutum (τὸ ὀξύ) et grave (τὸ βαρύ) inter se conciliantur, sive utrum-

que in una syllaba longa coniunctum est, sive in diversis syllabis per continuam pronunciationem coniungitur. Hac de causa in huius dissertationis titulo de *accentu*, non de *accentibus*, sermonis Latini me disputaturum esse professus sum. Sed qua diversi duo syllabarum singularum altitudinis gradus vel signa ad hosce indicandos inventa designantur, accentus nomen etiam plurali numero recte dicitur.

Jam, ut accentus natura et ratio etiam accuratius perspiciatur, videamus, in quibus similis ille numero s. ῥυθμῷ sit, in quibus ab eo diversus. Varia accentus ponendi ratione varii pedes harmonici nascuntur, sicuti vario ictus rhythmici ponendi modo varii pedes rhythmici oriuntur. Pedes ab accentibus enascentes hi fere sunt: ◡́◡̀ et ◡̀◡́ sive –̂ et –́, ◡́◡̀◡̀ sive –̂◡̀, ◡̀◡́◡̀ sive ◡̀–̂ et –́◡̀, ◡̀◡̀◡́ sive ◡̀–́. Sed quum acutus plerumque non ultra tres ultimas vocum moras a fine regredi soleat, quumque tres morae mensuram et iambici et trochaici numeri efficiant (◡◡◡ = ◡–́ aut –́◡): accentu acuto in fine vocabulorum posito simile quoddam iambici numeri efficitur, atque eiusmodi vocabula cum vigore pronunciantur, accentu autem a fine retracto voculatio [7]) aliqua ex parte numero trochaico similis evadit atque eiusmodi vocabula cum dignitate quadam proferuntur. Quae quum ita sint, non male altera soni ponendi ratio iambica, altera trochaica appellari potest.

---

7) Hoc vocabulo accentus ponendi et proferendi rationem (Betonung) designavit P. Nigidius Figulus in vicesimo quarto *Commentariorum grammaticorum*. Conf. Gellius XIII, 25, 1. Inde idem Gellius XIII, 6, 1: *quas Graeci* προσῳδίας *dicunt, eas veteres docti tum notas vocum tum moderamenta tum accentiunculas tum voculationes appellabant.* Sed falsum est ultimum hoc, *voculationes appellabant*: notas enim accentuum neque *voculationes* appellavit Nigidius, neque ita appellare apte poterat.

Sed haec loquendi ratio quamvis non inepta videatur, nihilominus tantum abest, ut accentum cum numero, h. e. sonum acutum cum arsi et gravem cum thesi confundam, ut utrumque genus probe discernendum esse etiam atque etiam monitum ac praeceptum velim. Quod quum saepe neglectum sit, quumque ista confusio multorum errorum causa extiterit, quo differat accentus a numero, paullo copiosius dicendum videtur.

Numerus quemadmodum ad motum pertinet, ita arsis quoque et thesis, quibus efficitur ille, tantummodo ad motum referendae sunt, et arsis quidem ad motum fortem et acceleratum, thesis autem ad debilem ac tardum [8]. Inde statim consequitur arsin et thesin nullo modo posse pertinere ad exprimendos varios, qui sunt in sonis, altitudinis gradus, quippe a motu ac tempore alienos. Arsis et thesis ad quaecumque motus genera referri possunt, ideoque multo latius earum vis patet quam accentus. Apparent v. c. in saltationibus arsis et thesis, accentus minime; idem dici potest de vulgari hominum ingressione multisque aliis motus rhythmici generibus, ita ut arsis et thesis non solum auribus exigantur, sed magis etiam oculis percipiantur. Accentus autem a motu alieni non oculis, sed solis auribus exiguntur, dum soni ad eas vel acute vel graviter accidunt, ideoque remotis sonis evanescunt accentus. Nec vero ex nominibus ἄρσις et θέσις colligi debet, illam esse elatam

8) Conf. Plato Conviv. p. 187. b. c.: ὁ ῥυθμὸς ἐκ τοῦ ταχέος καὶ βραδέος, διενηνεγμένων πρότερον, ὕστερον δὲ ὁμολογησάντων, γέγονε. Cf. Phileb. p. 26. Omnes alios veterum de rhythmo locos omitto: scilicet haec res non tam testimoniis cognosci potest, quam usu et ratione intelligi debet.

vocis intensionem, hanc eiusdem remissionem: id enim falsissimum esse ad demonstrandum non est difficile. Primum enim neque αἴρειν φωνὴν neque αἴρειν τόνον aut συλλαβὴν Graece dicitur, sed διατείνειν συλλαβὴν aut φωνὴν, quae locutiones quum a chordis ad vocem et linguam translatae sint, altitudinem pronunciandi significant: nam συλλαβὴ διατεινομένη ut χορδὴ διατεινομένη acute et elate sonat: tum vero illa vocabula a vocis tenore elato ac depresso omnino removenda sunt propterea, quod apud antiquiores et praestantiores veterum scriptores nomen ἄρσις non motum celerem, sed debilem, θέσις autem non debilem, sed fortem significat. Conf. Boeckhius *de metris Pindari* p. 13. Atque hic loquendi usus ei, quem Priscianus eoque duce Bentleius et Hermannus receperunt, multum praeferendus est. Nam quum Graece dicatur αἴρειν σκέλος et χεῖρα, itemque θεῖναι σκέλος et χεῖρα: nomina substantiva ἄρσις et θέσις (das Aufheben und der Niederschlag) proprie de sublatione ac demissione manuum pedumque dicuntur: ibi autem quum tollendi motus fere debilior sit, demittendi fortior[9]; perapte motus celerior θέσις et tardior ἄρσις appellatur. Haec, quae in universum de accentus rhythmique discrimine disputata sunt, multis aliis indiciis confirmantur, quae iam breviter enumerare lubet. Quum et acutus et arsis vim diversam syllabis addant, nihil habet offensionis, si in eadem voce utraque diversam syllabam occupat: v. c. voces méo, túo, νόμῳ, φύσει secundum accentum s. harmonieam rationem hanc habent mensuram

9) Hoc argumentis ex doctrina physica petendis demonstrare alienum et putidum videbatur.

⏑́—, ex numeri autem legibus hanc ⏑—̍, h. e. secundum accentum illae voces pedem trochaicum ⏑́⏑⏑ efficiunt, secundum numerum autem pedem iambicum ⏑⏑̍⏑ constituunt [10]). Contra si accentus acutus esset arsis, in hisce vocibus duae arses se invicem exciperent eoque omnem numerum tollerent. Quae vocabula si in versibus iambicis vel trochaicis leguntur, ita pronuncianda sunt, ut sono elato prior syllaba excitetur, ac motu accelerato posterior proferatur: duo enim momenta exprimenda sunt ac discernenda, alterum harmonicum, rhythmicum alterum. Quemadmodum voces méo et φύσει ab accentu hanc accipiunt mensuram ⏑́—, a rhythmo hanc ⏑—̍, sic etiam alia multa vocabula secundum accentum aliter metienda sunt, quam ex numeri legibus. Verbi causa vocis κημός mensura rhythmica haec est —̍⏑, harmonica haec —⏑́; vocabulum ἄπωσις harmonice sic ⏑́—⏑, rhythmice sic ⏑—̍⏑ metiendum est; nomen θυρωρός secundum accentum hanc habet mensuram ⏑—⏑́, secundum numerum hanc ⏑—̍⏑. Nec vero quicquam impedit, quominus utrumque momentum, accentus acutus et ictus rhythmicus, in eadem syllaba ponantur: verbi causa in pedibus dactylicis ἤρχετο, mőribus, mőntibus accentus acutum vocis sonum, ictus rhythmicus motum acceleratum indicat. Sed eiusmodi vocabula ita etiam proferri possunt, ut accentus et ictus rhythmicus prorsus a se discrepent: ictus enim rhythmicus etiam penultimam ultimamque syllabam potest ferire, accentu locum suum tenente, hunc in modum —́⏑͡⏑̍, ἤρχε͡τό, dúri͡ór, ita

---

10) Accentum acutum (ʹ) et ictum rhythmicum (ˈ) linearum forma distinguere placuit.

ut a numero pedes sint anapaestici, a metro dactylici, ab accentu trochaici [11]). Quibus in pedibus, si accentus vim haberet rhythmicam, rursus duo ictus rhythmici sive arses se continuo exciperent, quo quidem ipsum numerum tolli constat. In singulis igitur verbis atque oratione numeris haud astricta nullus inest rhythmus, sed harmonia s. concentus, et inde Aristoteles *λεκτικὴν ἁρμονίαν* agnovit Poet. c. IV. 19.: *πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις, καὶ ἐκβαίνοντες τῆς λεκτικῆς ἁρμονίας.* Numerum inesse prosae orationi tum demum vere dicitur, si singulae eius partes ita collocatae atque politac sunt, ut quodam cum numero s. numeroso motu possint pronunciari, unde eas numerose cadere dicimus. Ea autem in re accentus nullam vim esse luculente apparet, quippe oratio omni numero destituta accentum aeque tenet atque ea, quae vel optimo numero fertur. Magnum illud discrimen inter accentum acutum et arsin, inter gravem et thesin, optime ex Graecorum et Latinorum lingua potest perspici, quum utrumque genus, harmonicum et rhythmicum, saepissime ad diversas eiusdem vocabuli syllabas referatur, unde certo colligi potest, tum quoque, ubi in pedibus rhythmicis utrumque momentum in una syllaba coniunctum reperiatur, unumquodque vim sibi propriam continere, eamque ab eo, qui recte pronunciare velit, voce exprimendam et indicandam esse.

---

11) Cur trochaicum eiusmodi accentum appellem, apparebit ex iis, quae infra hac de re dicentur.

CAP. II.
DE VOCULATIONE ROMANORUM PROPRIA.

Nonnullarum gentium quum ita comparata sit pronunciatio, ut accentum acutum fere in vocabulorum finibus proferant: ea pronunciandi consuetudine simile quoddam iambici numeri eorum linguae conciliatur, eoque ipsa lingua pro istius numeri ingenio et velocitatis et magnae vivacitatis quasi χαρακτῆρα accipit. Alii contra populi quum a fine vocabulorum ad priores syllabas retrahere accentum acutum soleant: eorum linguae et gravitatis et fastus cuiusdam nota imprimitur, quod idem accidere solet numero trochaico. Utrumque genus exculta Graecorum lingua ita coniungit ac miscet, ut linguae concentus inde oriatur et propter varietatem minime rigidus aut molestus, et propter temperaturam sapienter institutam suavissimus. Longe aliter apud Latinos haec res se habet. Nam quum ex multis et grammaticorum et aliorum scriptorum testimoniis satis constet, accentum in lingua Latina ab ultimis vocabulorum syllabis in priores retrahi: Romanorum in pronunciando vox semper cadit a sono elato ad depressum, quemadmodum in numero trochaico motus ab arsi ad thesin festinat: Romanorum igitur propria est voculatio trochaica. Sed voculationem trochaicam latiore sensu eam hic dicimus, quae ex elato sive acuto sono ad depressum s. gravem descendit; itaque non solum in vocibus *Rôma, Crêta* (–̂ ⏑), et

et in *dóminus, dúbius* (⏑́⏑̀⏑) etiam voculationem agnoscimus, sed etiam in *méus, túus* (⏑́⏑̀), in *môs, flôs* (– = ⏑́⏑̀), aliis. Quamobrem universam proferendi accentus in lingua Latina rationem interim hac ego regula complector: *Latini accentum acutum a vocabulorum finibus semper retrahunt ad priores syllabas, ea tamen adhibita moderatione, ut voculationem trochaicam, quae proprie dicitur, non excedant.* Hanc regulam et vere et satis late expressam esse videbimus, ubi ad singula deducta fuerit nostra disputatio: nunc vero illud explicandum videtur, unde orta sit haec pronunciandi ratio et consuetudo. Qua de re si praeter alios scriptores Athenaeus (X. p. 425. a.) tradit Romanos ad imitandum sibi sumpsisse Aeolenses quum in omnibus aliis, tum in linguae sonis [12]: hoc cum ipso Athenaeo non ita intelligamus oportet, quasi Romani sonos suos ex peregrina Aeolensium lingua in suam asciverint, sed referendum est illud ad similem utriusque linguae naturam et ingenium, quod et multis aliis in rebus et in eadem accentum acutum retrahendi consuetudine apparebat. Sed hac explicatione, quae sufficere visa est Bentleio sub finem *Schediasmatis de metris Terentianis*, atque Reizio in libro *de prosodiae Graecae accentus inclinatione* p. 108., non multum lucramur, quum rursus quaerere possimus, cur tandem Aeolenses illam voculationem probaverint. Veram eius rei causam exponit Olympiodorus ad Aristotelis Meteorologica p. 27.: Τότε μὲν

12) Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις δὲ οἱ εὐγενέστατοι τῶν παίδων τὴν λειτουργίαν ταύτην (scil. τὸ οἰνοχοοῦν) ἐκτελοῦσιν ἐν ταῖς δημοτελέσιν θυσιῶν, πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι, ὡς καὶ κατὰ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς.

B

Γραικοὶ ἐκλήθησαν· νῦν δὲ Ἕλληνες. τοῦτο δὲ πάσχουσι οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουσι, Γραικοὶ λέγοντες, ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει. καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν κόμπον, ὅθεν ὑπερηνορέοντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Olympiodorus igitur Romanos quodcunque vocabulum ita pronunciare dicit, ut accentus acutus aut in penultimam aut in antepenultimam eius verbi syllabam cadat, idque ab illis fieri propter fastum (διὰ τὸν κόμπον), h. e. propter ingenium ad magniloquentiam et superbiam inclinans, unde factum sit, ut a poetis ὑπερηνορέοντες s. *magniloqui* appellarentur. Olympiodori verba quum leviter carpsisset Bentleius l. c., Reisius Bentleium inconsiderate secutus ea tanquam falso et stulte prolata exagitavit. Uterque dicit illam pronunciandi rationem ab Aeolensibus repetendam esse. Sed hanc explicationem et nullam esse modo intellexinus, neque Olympiodori verba, recte illa intellecta a Boeckhio *de metris Pindari* p. 55. et *Corp. inscript.* vol. I. p. 718., ad detrectandam illam originem scripta sunt: Aeolenses enim aeque ac Romani voculationem trochaicam, quum aequabilitate sua magnificam, tum rigore et aequali vocis descensu paullo superbius sonantem, probaverunt propter ingenium ad magnificentiam ac superbiam proclive; quod ex ipsa pronunciandi consuetudine sentiri atque cognosci poterat. Et vero Aeolensium ingenium magnificentia ac tumore excellere acute animadvertit Heraclides Ponticus Athenaei XII. p. 624. e.: τὸ δὲ τῶν Αἰολέων ἦθος ἔχει τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες. Idem ille tumor ac magniloquentia, in Romanorum lingua potissimum per accentus conspicua, ad Graecorum poetarum aures tam mire ac barbare accidebat, ut eos vocabulo Homerico ὑπερηνορέοντας

appellarent; ad quod si animum advertisset Reizius, profecto Olympiodorum non reprehendendum esse intellexisset. Immo vero non solum peregrinos homines aequabilis haec et rigoris plena vocalatio offendebat, sed Romanis etiam, quorum aures quid elegans esset, exigere callerent, propter nimiam similitudinem et rigorem insuavis videbatur, cuius rei testem satis locupletem cito Quintilianum XII. 10, 33.: *sed accentus quoque quum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaves habemus, quia ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, sed in gravem vel duas graves cadit semper.* Nec tamen haec pronunciandi ratio in Latinorum lingua sola dominabatur, sed fere omnes Italiae populi ad eam mirum quantum inclinabant. Nam in Oscorum lingua illam regnasse vel inde apparet, quod Latinum sermonem ex illa magnam partem detortum esse constat. Omnem vero modum in retrahendo accentu Etrusci excedebant: illi enim non solum ultimam et penultimam verborum syllabam βαρυτόνως pronunciabant, sed accentum in omnibus fere vocabulis ad primam syllabam retrahebant. Quod quum facerent, vox ad vocabuli longioris syllabas luculente proferendas non sufficiebat, et inde accidit, ut vocabulorum exitus mirum in modum mutilarentur ac lacerarentur. Qua de causa Graecum nomen Ἀλέξανδρος Etrusci accentu in primam syllabam retracto Ἄλεξανδρος pronunciare conabantur; id autem quum humana voce nonnisi summa contentione perfici posset, ex eo nomine verbi monstrum *Élchsntre* (Elxntre) procuderunt. Simili ratione ex nominibus Μενέλαος, Ἡρακλῆς, Πολυδεύκης, Πολυνείκης, Μελέαγρος, Ἀπόλλων, Ἀγαμέμνων fecerunt *Ménle*, *Hércle*, *Púlŭtuke*, *Phúlnĭke*, *Mélacre*, *Ápŭlu*, *Áchmiem*. Conf.

O. Mülleri *Etrusci* I. p. 59. sq. Iidem, Latina vocabula *Minerva* et *Metellus* in *Menerfa* s. *Menrfa* et *Methnal* detorserunt. Conf. Mülleri *Etrusci* l. l. et p. 411. Itaque Praenestini *conia* pro *ciconia* nonnisi improbo accentus retrahendi studio pronunciabant. Conf. Plaut. Truculento III. 2, 23. In Graecia mos ille acutum a finibus vocabulorum retrahendi, primum apud Aeolenses, ut ante vidimus, dominabatur, tum regnabat idem in omnibus omnium Graecarum dialectorum verbis (ῥήμασι), quae quidem potiorem efficiunt linguae materiam: regnat denique in plurimis et antiqui et novi temporis linguis. Conf. Boeckh. *Corp. inscript.* vol. I. p. 718. Quod quum ita sit, non dubito affirmare, eam pronunciandi rationem, qua vox a sono acuto descendat ad gravem, voci et linguae humanae maxime esse consentaneam, sed illam immutari et conformari variis pro cuiusque populi natura et ingenio. A Romanis, qui antiqua ac tradita sibi a maioribus mordicus tenere ac servare solebant, prisca haec et simplex pronunciandi ratio temporis progressu aut nullam aut minimam certe mutationem passa est.

CAP. III.

DE ACCENTU IN VOCABULIS LATINIS RECTE PONENDO REGULAE.

Ex una illa regula in antecedentibus exposita et illustrata, *Latinos* videlicet *accentum acutum a fine vocabulorum ad priores syllabas retrahere, ea tamen adhibita mode-*

ratione, ut vocula trochaica, quae proprie dicitur, non violetur, omnes de ponendo in vocibus Latinis accentu leges facillime et deduci et explicari possunt, quod quidem iam ad singula transgressus demonstrare conabor.

1. *Vocabula monosyllaba.*

Vocabulum ex una syllaba, quae est brevis vel sola positione producta, constans, omnis accentum acutum admittit, v. c. *án, mél, cón,* item *dúx, plús, móx, lúx.* Conf. Diomedes, Putschii II, p. 426. Priscianus *de accentibus* p. 1288, s. ex Krehlii editione tom. II, p. 365. Donatus p. 1741, Sergius p. 1835, Max. Victorin. p. 1942. Operae pretium est saltem unius ex hisce grammaticis verba huc transcripsisse, quum omnium loci aliquid contineant, in quo iure offendamus. Prisciani igitur verba haec sunt: *syllaba quoque, quae correptam vocalem habet, acuto accentu pronunciatur, ut pár, fáx, píx, níx, dúx, díx, dúx.* Et Priscianus et ceteri inter exempla sua afferunt *páx.* Sed quum dicatur *pācis,* nominativi ā longum esse et circumflexu potius notandum videtur. Neque ea difficultas removetur, si cum Seyferto (*grammat. Latin.* I, p. 163) statuas, *páx* illud a grammaticis allatum non esse nomen substantivum, sed Graecum πάξ. Nam vocabulum *páx* una cum aliis substantivis ita affertur ab illis grammaticis, ut substantivum designari satis constet. Quamobrem contra analogiam grammaticam Romanos pronunciavisse *păx* coniicio, ut Graeci secundum grammaticorum veterum testimonia φοῖνιξ et κῆρυξ protulerunt, quamvis φοίνικος et κήρυκος dicerent. Eius rei causa posita esse in eo videtur, quod littera *x* talem habet naturam (quasi acutam), ut

O. Mülleri *Etrusci* I. p. 59. sq. ; iidem, Latina vocabula *Minerva* et *Metellus* in *Menerfa* s. *Menrfa* et *Methnal* detorserunt. Conf. Mülleri *Etrusci* I. l. et p. 411. Itaque Praenestini *conia* pro *ciconia* nonnisi improbo accentus retrahendi studio pronunciabant. Conf. Plaut. Truculento III. 2, 23. In Graecia mos ille acutum a finibus vocabulorum retrahendi, primum apud Aeolenses, ut ante vidimus, dominabatur, tum regnabat idem in omnibus omnium Graecarum dialectorum verbis (ῥήματα), quae quidem potiorem efficiunt linguae materiam: regnat denique in plurimis et antiqui et novi temporis linguis. Conf. Boeckh. *Corp. inscript.* vol. I. p. 718. Quod quum ita sit, non dubito affirmare, eam pronunciandi rationem, qua vox a sono acuto descendat ad gravem, voci et linguae humanae maxime esse consentaneam, sed illam immutari et conformari varie pro cuiusque populi natura et ingenio. A Romanis, qui antiqua ac tradita sibi a maioribus mordicus tenere ac servare solebant, prisca haec et simplex pronunciandi ratio temporis progressu aut nullam aut minimam certe mutationem passa est.

CAP. III.

DE ACCENTU IN VOCABULIS LATINIS RECTE PONENDO REGULAE.

Ex una illa regula in antecedentibus exposita et illustrata, *Latinos* videlicet *accentum acutum a fine vocabulorum ad priores syllabas retrahere*, ea tamen adhibita mode-

rationem, ut vocillatio trochaica, quae proprie dicitur, non violetur, omnes de ponendo in vocibus Latinis accentu leges facillime et deduci et explicari possunt, quod quidem iam ad singula transgressus demonstrare conabor.

1. *Vocabula monosyllaba.*

Vocabulum ex una syllaba, quae est brevis vel sola positione producta, constans, nonnisi acutum admittit, v. c. *ún, mél*, ést, item *dúx, píx, léx*. Conf. Diomedes Putschii II. p. 426. Priscianus *de accentibus* p. 1288. s. ex Krehlii editione tom. II. p. 365. Donatus p. 1741. Sergius p. 1835. Max. Victorin. p. 1942. Operae pretium est saltem unius ex hisce grammaticis verba huc transcripsisse, quum omnium loci aliquid contineant, in quo iure offendamus. Prisciani igitur verba haec sunt: *syllaba quoque, quae correptam vocalem habet, acuto accentu pronunciatur, ut páx, fáx, píx, níx, dúx*. Et Priscianus et ceteri inter exempla etiam afferunt *páx*. Sed quum dicatur *pācis*, nominativi ā longum esse et circumflexu potius notandum videtur. Neque ea difficultas removetur, si cum Seyferto (*grammat. Latin.* I. p. 162.) statuas, *páx* illud a grammaticis allatum non esse nomen substantivum, sed Graecum πάξ. Nam vocabulum *páx* una cum aliis substantivis ita affertur ab illis grammaticis, ut substantivum designari satis constet. Quamobrem contra analogiam grammaticam Romanos pronunciavisse *păx* coniicio, ut Graeci secundum grammaticorum veterum testimonia φοῖνιξ et κῆρυξ protulerunt, quamvis φοίνικος et κήρυκος dicerent. Eius rei caussa posita esse in eo videtur, quod littera x talem habet naturam (quasi acutam), ut

vox syllabam longam ante eam in vocabuli fine corripere inclinet. Eadem de causa in Latinis quaevis syllaba ante litteras *t* et *m* in fine positas corripitur. Non igitur mirandum est a nomine *pāx* fieri *păciscor*, aut quantitatem in nomine *dŭcis* et verbo *dūco* multum discrepare. Sed revertor ad accentum. Cur in vocibus monosyllabis, quae sunt natura breves aut sola positione productae, sono circumflexo nullus concedatur locus, sponte apparet: opus est enim ad circumflexum enunciandum duabus syllabis vel moris in unam coniunctis; sed quaeritur, quomodo in duobus vel pluribus vocabulis monosyllabis continuo sequentibus, ut in *hóc ést dúx*, servari possit acutus, quum duobus vel pluribus sonis acutis continuo se excipientibus tollatur ac turbetur linguae concentus. Quae quidem quaestio ita expedienda videtur: post unumquodque in sermone vocabulum parvum est intervallum, in quo vox paullulum quiescere ac descendere potest, ita ut, quamvis syllaba antecedens acute excitata sit, nihilominus in sequente rursus ad elatum sonum ascendere valeat. Quod intervallum si lineola indicemus, voces *hic vir fert* accentu hunc in modum proferri apparet: *híc — vír — fért*. Ea causa est, cur grammatici in Graecis syllabam postremam acute proferendam gravis soni nota consignent, ubi ea ab aliis verbis excipitur: scribunt igitur ἐγὼ καὶ σύ, quorum verborum voculatio proprie haec est ἐγώ — καί — σύ. Quamobrem ultro et recte concedunt, nota illa non eum gravem sonum indicari, qui proprie dicatur, sed acutum aliqua ex parte consopitum. Ea grammaticorum Graecorum doctrina si ad Latina transferatur, scribendum est *hìc vìr fért*. De praepositionibus hoc animadvertit Priscianus XIV. p. 977.: *ac-*

[illegible] *habent* [illegible] *in fine* — *quippe tamen cum aliis legendo in gravem convertitur.*

b) Reliqua sunt ex monosyllabis vocabula, quae ex una longa syllaba constant. Eorum quae natura longa sunt circumflexo notantur, [illegible] ex [illegible] et brevius describi potest, quam in Graecis. Nam quum quaevis longa syllaba duabus brevibus aequalis sit [illegible]: Graeci [illegible] vocalium rationem [illegible] sed [illegible] admittere possint, prior [illegible] et [illegible] propter [illegible] accentus [illegible] trahendi consuetudinem syllabae vel [illegible] admittunt, hanc vero [illegible] repudiant. Ea [illegible] quaevis vocabulum monosyllabum natura longum, [illegible] ex duabus brevibus syllabis sive moris compositum [illegible] Latinis circumflexo notetur. Scribendum sive pronunciandum est igitur *môs*, *rês*, *fûr*, *plûs*, [illegible] *prô*, [illegible]. Conf. Diomedes p. 426. Priscian. p. 1288. Alios grammaticos [illegible] hoc loco et hic et alibi consulto neglexi, nisi ubi [illegible] aut parum [illegible] aut dubitationibus obnoxia videbatur.

2. *Vocabula bisyllaba.*

a. Vocabula e duabus syllabis composita, quarum penultima brevis est vel sola positione producta, accentum in priore posito excitantur, ultima sive brevis est sive longa. Ea regula ab antiquis grammaticis tradita ex summa locutionis Romanae lege ipsa consequitur: sic enim [illegible] retrahendi accentus consuetudo servatur, neque [illegible] trochaica [illegible] sive hanc formam spectaveris [illegible] sive

hanc ⏑́ —, quae posterior aequalis est huic ⏑⏑́. Exempla sint *tuus, meus, suus* — *tuo, meo, suo* — *arma, arcus, artis* — *armis, arcis, artes*. Conf. Diomedes p. 426. Priscianus p. 1289.

b. Vocabula bisyllaba, quorum penultima longa est vocalis, sono circumflexo efferuntur, si ultima brevis est, acuto, si ultima est longa: quam vocalationem in hunc modum notis indicare licet: —̂⏑, —́—. Conf. Priscianus p. 1288 et 1289. In primo genere —̂⏑, quod est aequale ⏑́⏑⏑, statim apparet pronuntiationis legem Latinorum propriam observari, h. e. et accentum acutum retrahi et vocalationem trochaicam non violari. Exempla sint *Rôma, Crêta, môrtis, ôris, flôris, côgit, mâlit, claûdit, haûrit*. Eodem sono omnia vocabula ex pluribus quam duabus syllabis composita, si ultimae duae syllabae hanc habent mensuram —⏑, proferenda sunt: nam accentu longius retracto vocalatio trochaica violatur; pronunciandum est igitur *allîdit, homicîda, parriênda, Etrûria, Hadrumêtum, Românus*. Conf. Diomedes p. 426. Priscianus p. 1289. Diomedis verba haec sunt: *in trisyllabis autem et tetrasyllabis secunda ab ultima semper observanda est. Haec si natura longa fuerit* (brevi ultima), *inflectitur, ut Românus, Cethêgus, marînus, Crispînus, amîcus, Sabînus, Quirînus; si vero eadem penultima positione longa fuerit, acuitur, ut Catúllus, Metéllus, Marcéllus.* Qua in re Latini a Graecis quum multum recedant, eo nimis ostendunt, quam tenaciter vocalationem trochaicam servent. Talia enim, ut Graecorum γελῶντες Ἕλληνες, ἄνθρωποι, aut ex nostra lingua *mittheilen, antheilen, abbrechen, abstreichen*, in Latinis inaudita sunt.

Atque haec servandae trochaicae voculationis religio tanta apud Romanos erat, ut adeo vocabula polysyllaba, quorum penultima alioqui brevis ac sola positione producta esset, accentum acutum trans eam syllabam retrahi non permitterent. Et in hoc quidem uno genere aliquid valuit positio, quum ea ceteroquin accentum, ut par est, nunquam afficiat. Pronunciandum est igitur *legastis, peperistis, Metellus, Camillus, Catellus*. Conf. Quintilianus I. 5, 22, Diomedes p. 426 et 427, Priscianus p. 1289, Donatus p. 1741, Max. Victorinus p. 1942. Ad eandem legem igitur proferendum videtur *exinde, perinde, proinde, deinde*, quamvis quarto et quinto post Christum saeculo *deinde* et *exinde* prolatum esse nonnulli veterum grammaticorum loci ostendant. Ac Prisciani quidem hac de re testimonium subobscure dictum est p. 1300. sive tom. II. p. 383. ed. Krehl: *notandum autem, quod adverbia omnia, quae cum praepositionibus componuntur, sub uno accentu proferenda sunt, ut d e i n d e, e x i n d e*. Dubitare possis, utrum in hoc loco scribendum sit *deinde* et *exinde*, an *deinde* et *exinde*: utraque enim forma sub uno accentu profertur. Sed omnem dubitationem tollit Servius, qui ad Virgilii Aen. VI. 743. haec scribit: *exinde una pars orationis est et in tertia a fine accentum habet, licet paenultima longa sit*. Idem causam cur hoc fiat perquam ineptam hanc adiungit: *quod ideo factum est, ut ostenderetur una pars esse orationis, ne praepositio iungeretur adverbio, quod vitiosum esse non dubium est*.

Sed quoniam Latinorum vox ad retrahendum accentum nimium quantum inclinabat, nec tamen voculationem trochaicam excedere audebat, inde accidit, ut saepius syl-

habitam penultimam longam corripuerunt, ita tamen, ut illi accentus retrahendi obsequi et tamen vocalium naturam tenere potuerint. Hac de causa ex de et iūro ortum est dēiero, ex per et iūro pēiero, ex ad et nōtus āgnitus, ex cum et nōtus cognitus, ex ne et ... ex nūbo prōnuba et innuba, ex dīco fatĭdicus, causĭdicus, malĕdicus, ... Contra in maledīco et benedīco, item in condīco, edīco, indīco, praedīco accentus retrahendi nullam quantitas concessit. Eodem modo ex lĭtura littera ortum est, accentu syllabam antepenultimam ita intendente, ut ea longa quidem non fieret, sed tamen duplici t proferretur 13). Hac porro causa esse videtur, cur nonnulla neutra mutilarentur: nam ex antiquiore nominativi forma animâle 14) ortum est animal, ex vectigâle vectigal, ex calcâre calcar, ex torculâre torcular. Inde ratio apparet, cur nonnulla verba in tempore praeterito syllabam penultimam corripiant, quam analogia grammatica longam poscit, quod quidem tunc fere accidit, quum illae praeteriti temporis formae reduplicatione augentur. Exemplis rem illustrabo. Verbum tango ad analogiam grammaticam in tempore praeterito formam tanxi vel tāgi poscit, ut pango panxi et frango frēgi, et verbum pario formam pēri flagitat, ut facio fēci et iacio iēci. Sed quum utriusque verbi tempus praeteritum reduplicatione auge-

13) Propter vocis lĭturae quantitatem vocalis ī in littera natura sua longa esse non potest. Sed quum a poetis et in littera et in oblitterare (Catull. 64, 232) i semper producatur, tantummodo eam scripturam, qua t duplicatur, quaeque etiam a lapidibus antiquis et codicibus commendatur, probandam esse inde consequitur. Analogiam luculentam praebent βυκάνη et buccina.

14) Conf. C. L. Schneideri grammatica Latina II. 1. p. 190. et 191.

tur, syllaba penultima contra analogiam grammaticam corripitur, ut accentus possit retrahi, et inde formae *tetigi* et *pepigi* nascuntur. Ex obsoleto verbo *pago* secundum analogiam grammaticam tempus perfectum *pēgi* conformatur, quod ipsum in usu est, sed augmento in *pepigi* accedente penultima continuo corripitur accentus retrahendi gratia. A verbo *pello* praeteritum quum formetur *pepuli*, a *caedo* *cecidi*. Inde vocalis brevis remansit in compositis augmento quamvis carentibus, *compuli*, *impuli*, *reppuli*, *accidi*, *concidi*, *incidi*, *occidi*. Antiquis temporibus *tetuli*, *cecidi*, *scicidi* et *tutudi* dicebant 15), et inde omisso augmento *tŭli*, *incidi*, *pertuli*, *rettuli*, *percidi*, *contudi*, *scidi* proferebatur. Eadem ratione brevis vocalis in *scidi* et *fidi* (findo) explicanda videtur. Duobus tamen in verbis, *pedere* dico et *caedere*, illud accentus retrahendi studium vocalem, iam in tempore praesente longam, immutare in praeterito non potuit: dicimus enim *pepēdi* et *cecīdi*. In *fefelli* neque littera consona, ut in *pepuli*, neque vocalis longa (penultima haud dubie natura longa est) accentui cedere commoda et patiens voluit. Fortasse ex hac ratione verbi *dăre* quantitas insolita explicanda erit. Ut accentus retrahi posset pro *dedâre* dicebant *dedăre*, unde procusum est tandem *dedere*, ac similiter *abdere*, *condere*, *edere*, *prodere*; ea autem quantitas transferebatur ad ver-

15) Conf. Struvius *de Latina declinatione et coniugatione* p. 160. et 161. Perfecti temporis formas *repperi*, *reppuli*, *rettuli* in monumentis antiquissimis et praestantissimis duplici littera scribi in vulgus notum est, sed cur ita scribatur, nemo quod sciam exposuit. Scilicet *reppuli* extrusa vocali ortum est ex *repepuli*, *rettuli* ex *retetuli*, *repperi* ex *repeperi*. Causa, cur eiiceretur vocalis, posita est in accentus retrahendi studio.

bum non compositum *dare*. Sed hoc ut satis incertum in medio relinquendum puto. Paulo autem confidentius pronunciare audeo, omnes verborum in *io* desinentium formas, quae ad tertiae coniugationis normam conformantur, ex hoc retrahendi accentus studio ortas esse. Nam ad analogiam et legem grammaticam utique dicendum erat *cupîmus, cupîtis, cupîrem, cupîres, cupîre*, quum hae formae ortae sint ex *cupiimus, cupiitis* cet.; sed ut accentus retrahi posset, correpta penultima dicebant *cúpimus, cúpitis, cúperem, cúperes, cúperet, cúpere*. Haec mea de hisce formis sententia etiam linguae Latinae historia confirmatur. Nam verbum *morior* ab antiquis scriptoribus ad quartae coniugationis legem declinabatur, et postea demum, quum Latina lingua exculta esset, tertiae normam secutum est, ut pro *morîris, morîtur, morîmur, morîri*, accentu retracto, dici posset *móreris, móritur, mórimur, móri*. Antiquae coniugationis vestigia reliqua sunt primum in Ennii versu, quem servavit Priscianus p. 880. sive tom. I. p. 479. ed. Krehl.:

Nunc est ille dies, quum gloria maxima sese
nobis ostentat, sive vivimus, sive morîmur.

tum vero infinitivus *morîri* apud Plautum et Terentium Ovidiumque reperitur. Conf. Ruddimannus *Institut. gramm.* tom. I. p. 263. ed. Stallbaum. Ex hac infinitivi forma simul apparet, in Ennii versu vere legendum esse *morîmur*, non autem quod alioquin aliquis putaverit *morimmur*, littera liquida ad metrum fulciendum duplicata. Verbum *orior* apud excultae latinitatis scriptores ad tertiam coniugationem declinatum reperitur, sed antiquis temporibus dicebant *orîris, orîtur, orîmur*, ut Lucilius Prisciani loco allato:

Conturbare animam potis est quicunque adorîtur.

Lucilium imitatus est, Lucretius, cupidus ipsius linguae sectator, III, 514:

Commutare animum quicunque adoritur et infit.

Inde etiam in cultae linguae Latinae tempore infinitivum *oriri* solum in usu remansit. Eadem de causa ex *sapire*, *parire*, aliisque obsoletis quartae coniugationis formis *sapere*, *parere* ac multae aliae tertiae coniugationis formae enatae sunt; hinc etiam apparet, cur nonnulla primae et secundae coniugationis verba interdum simul ad tertiae leges declinentur, quae quidem res accuratius in etymologica doctrinae grammaticae parte explicanda est; hoc loco causam indicasse sufficiat [16]). Quo in genere magnopere cavendum est, ut ne, si forte talis verbi, quale in vulgari usu ad primae vel secundae coniugationis normam declinatum, forma una vel altera ad tertiam coniugationem flexa reperiatur, inde statim novam temporis praesentis formam inconsiderate fingamus. Interdum tamen iuxta solitam verbi cuiusdam coniugationem prorsus nova exorta est, id quod accidit in verbo *fulgeo*. Cuius infinitivum quum unus vel alter poeta ad tertiam coniugationem flectere ausus esset *fulgere*, non tam metri necessitate coactus, quam totius populi ad retrahendum accentum inclinantis studio excita-

16) Huc pertinet et illud, quod apud antiquos poetas scenicos nonnullae imperantis modi formae bisyllabae, quarum penultima brevis est, contra analogiam grammaticam in brevem syllabam fere exeunt, ut *roga*, *habe*, *iube*, *tace*, *vide*, *cave*, *abi*, *redi*: quae formae ab infinitivis syllabam penultimam correptam habentibus (v. c. *habere*, *cavere*) factae sunt. Aetatis Augustae scriptores ad longam syllabam lege grammatica praescriptam redierunt, exceptis duobus verbis, *cave* ac *vide*. Conf. Lingius *de hiatu in versibus Plautinis* p. 34. not., qui falsam huius rei explicationem excogitavit.

tus, alii eo processerunt, ut etiam *fulgus, fulgis* etc. proferrent. Exempla dedit et grammaticorum testimonia collegit Forcellinus v. *fulgur.* Hoc accentus ab antepenultimis retrahendi studio coniugationem secundam et quartam e lingua Latina evanuisse puto, nisi magnus verborum numerus poetarum usu ita stabilitus et ab ea cupiditate defensus fuisset, ut in iis nemo quidquam mutare auderet. Studium autem illud maximum fuisse et ex iis quae adhuc disputavi intelligitur, et ex Quintiliani verbis I. 5, 22. 23. apparet, ubi dicit difficile esse tales errores evitare, quales committat, qui *Céthĕgus* et *Cámillus* pro *Cethêgus* et *Camíllus* pronunciaverit. Quapropter serioris aetatis poetae, ut Ausonius ac Prudentius, qui quantitatem syllabarum prae accentu imperite contemnebant, *ídŏla* (εἴδωλα), *Árătus* (Ἄρατος), *érĕmus* (ἔρημος) pro dactylis admittere non dubitabant, partim Romanorum accentus retrahendi studium, partim Graecum accentum secuti: sed horum effrenatam licentiam corrupti sermonis Latini aetate exortam si quis cum Josepho Scaligero (*Ausonianis lectionibus* II. c. 21.) aliisque ad Plautum referre conatus fuerit, is neque Latinae linguae neque Plautinae prosodiae satis peritus esse videbitur. Quod quum ita sit, patere puto temporis progressu accentus vim non deminutam, sed auctam esse, ideoque illis assentiri non possum, qui accentum tantum valuisse in antiquissima Latinorum lingua opinantur, ut ex eo summa numeri lex suspensa fuerit, qua de re infra pauca dicenda sunt.

Alteram accentus in vocabulis bisyllabis ponendi rationem hanc esse diximus ´ —. Pronunciandum est igitur *cóges, cláudas, móres, réges, Rómae, prími.* Conf. Dio-

medes p. 427., Priscianus p. 1288. 1290. Sed dicat aliquis, in hoc genere violatam esse voculationem trochaicam et dactylicam admissam: formam enim –́ – aequalem esse huic ⏑́⏑⏑⏑ sive ⏑́⏑⏑⏑. Sed hoc speciose magis quam vere obiici facile apparet: nam forma –́ – non est aequalis huic ⏑́⏑⏑⏑, sed huic ⏑⏑́⏑⏑, h. e. in –́ – acutus non priorem, sed posteriorem prioris longae syllabae moram acuit. Fac enim ab acuto elevari priorem illius syllabae moram ⏑́⏑ ⏑⏑, continuo in sequente erit gravis ⏑́⏑̀⏑⏑; et inde consequeretur formas ⏑⏑̂ – et –̂⏑⏑ sono circumducto notandas esse, quod est longe falsissimum et omnibus grammaticorum praeceptis contrarium. Certum est igitur, tum formam –́ – aequalem esse ⏑́⏑⏑⏑, tum voculationem trochaicam in ea nullo modo excedi: immo ea ipsa voculatio causa est, cur in longa penultima, si ultima longa est, numquam ponatur circumflexus. Nam quum in ⏑̀⏑́⏑̀⏑̀ sonus acutus citra tertiam moram regredi non possit, ne violetur summa illa voculationis lex, sonis syllabisque coeuntibus inde nascitur –̌– sive ⏑́⏑⏑⏑. Itaque haec duo voculationis genera –̂⏑, –́ – ita diversa sunt, ut in –̂⏑ (⏑́⏑̀⏑̀⏑) vox a sono acuto, qui est in priore longae syllabae mora, descendat ad gravem, qui est in secunda eiusdem syllabae mora, ac tum ad syllabam etiam magis depressam veniat: in altero autem genere –́ – (⏑̀⏑́⏑̀⏑) vox a sono gravi, qui est in priore prioris longae syllabae mora, ascendit ad acutum, qui est in secunda eiusdem syllabae mora, ac tum gradatim descendit. Posterius voculationis genus referendum est etiam ad omnia vocabula, quae, quamvis ex pluribus syllabis composita sint, in duas tamen longas exeunt: pronunciandum est igitur ⏑⏑–́ –, cuius praecepti ratio ex

antecedentibus apparet. Exempla sunt, *formosi, perosi, naturae, parricidae, Fidenae, Athenae, interreges, cecidi, confregi.* Conf. Priscianus p. 1289.: *ultima vero, si naturaliter longa fuerit, penultima* (longa) *acuetur, ut Athenae, Mycenae.* Conf. Diomedes p. 426.

3. *Vocabula trisyllaba.*

Nullum vocabulum, tribus syllabis compositum, seu circumflexo, in prima ab initio syllaba posito, excitare licet: talis enim forma, qualis est –⏑⏑ s. ⏑⏑⏑⏑, excedit trochaicae voculationis modum. Tertiae igitur a fine syllabae solus acutus relictus est, et quattuor quidem modis.

a. Omnes tres vocabuli syllabae breves sunt, v. c. *dominus, dubius, medicus, melius, latebra, legitis, agite.* Hoc genus nullis difficultatibus laborare unusquisque intelligit: nam forma ⏑⏑⏑ aequalis est –⏑, adest igitur voculatio trochaica. Conf. Diomedes p. 427.: *tribrachus tertiam ab ultima acui desiderat.*

b. Verbum trisyllabum metrice dactyli mensuram aequat, v. c. *moribus, legibus, nubium, mobilis, durior, cogitis.* Conf. Diomedes et Priscianus ll. cc. Post ea, quae de acuto syllabam longam elevante iam his in antecedentibus a me disputata sunt, in hisce exemplis nemo voculationem dactylicam agnoscere sibi videatur. Nam forma –⏑⏑ non est aequalis ⏑⏑⏑⏑, sed huic ⏑⏑⏑⏑, unde hanc voculationem ab antecedente nihil differre patet. Sed illud discrimen, quod est inter –⏑⏑ et ⏑⏑⏑⏑, ne cui inani acumine excogitatum esse a me videatur, iam tertium eadem de re dicenda quaedam arbitror. In pede dactylico *cogite,* primam syllabam ex duabus compositam si solveri-

rimus et cogitata protulerimus: nemo autem inducet vel scribendo vel pronunciando acutum in syllaba ē ponere, sed unusquisque cógita profecto sua sponte solet. At vero in ea re nihil mutatur, si duae breves syllabae in unam longam coalescunt. Ea de causa scribere debemus Aélius non Aëlius, aéneus non aēneus, et Graece [illegible] non [illegible], ut imperiti quidam scribunt; acutus enim in hisce posteriorem longae syllabae moram elevat, priorem gravi deprimente. Secundum hanc analogiam per abusum scribimus [illegible], quamvis verum sit [illegible], quippe ortum ex [illegible]. Conf. Boeckhius de metris Pindari p. 52. In Latinis si accentu verba notentur, scriptura Aélius et aéneus optime se habet, sed ex altera illa Raêtus et câelum non abhorre nata est: veteres enim scriberetur Pâe-tus et câelum.

Vocabula, quorum mensura metrica anapaestum efficit, acutum in tertia a fine syllaba positum habent, v. c. dúbio, ínvidi, hómines, ténebrae, dóminis. Conf. Diomedes et Priscianus locis ante indicatis. In hisce vero, dicat aliquis, modulatio dactylica haud dubie admissa est, nam haec forma [illegible] aequalis est [illegible] et eam esse duplicem patet. Quod quidem etsi cum Hermanno (de emendanda ratione Gr. gramm. p. 63.) et Boeckhio (de metris Pindari p. 56.) ita esse concedamus, primum non intelligitur, cur Romani nunquam hóminibus vel memóriam pronunciare ausi sint, quum tamen hómines et memóriae proferre minime dubitaverint: atqui utrumque idem esse videtur, hoc est forma [illegible] aequalis est [illegible]. Non intelligitur porro, cur, qui pronunciant ténebrae et látebrae, nunquam proferre audeant clâustris vel môbilis, quum

forma μῆνιν aequalis sit: ῆν — ἶν. [illegible] Itaque haec pronunciandi ratio non potest non mira videri illis, qui secum probe consideraverint, quam religiose Latini voculationem trochaicam alioquin observare et quasi mordicus tenere soleant. Sed quum vere ea inveniatur certissimisque testimoniis confirmetur, non cum stupore admiranda est, sed sobrie explicanda; quod in sequentibus praestare ego conabor. Quum in vocabulo ex pluribus syllabis composito a voce elatiore ad depressiorem vox descendit, et quidem per duo, ut in *hómines*, gradus, ultima syllaba quamvis longa illo vocis descensu ita deprimitur, ut eius longitudo paullulum obscuretur ac decurtetur. Quocirca persuasum habeo, Romanos in *hómines* et *dóminae* longis syllabis $\overline{nes}$ et $\overline{nae}$ fere idem temporis in pronunciando tribuisse, quod brevibus $\overline{nis}$ et $\overline{nus}$ in *hóminis* et *dóminus*. Eadem pronunciandi consuetudo a nobis recepta est exceptis iis, qui pro sua sedulitate obscura diligentia delectantur. Nec vero accentus in Latinis vocabulis *dómini* et *ténebrae* magis est mirandus, quam idem in Graecis σφαῖραι et [illegible]. Nam syllabae $\overline{αι}$ et $\overline{οι}$ aeque ac ceterae diphthongi duas quidem moras continent in sermone numeris astricto et in recitatione ex numeri legibus instituenda; sed quod attinet ad accentus, brevium syllabarum dignitatem habent, ubi finem aliquorum verborum efficiunt, quae acuto in tertia a fine syllaba posito, vel circumflexa secunda excitantur. Inde recte conficere mihi videor syllabas $\overline{ναι}$ et $\overline{σαι}$ vocabulorum λέγεσθαι, ἀκοῦσαι, cet. in sermone numeris haud astricto fere eodem temporis intervallo pronunciatas esse, quo $\overline{ται}$ et $\overline{τος}$ in λέγεται et ἀκούετος. Sed in hisce Graeci et Latini duobus rebus

discrepant: primum enim solis syllabis οι̅ et αι̅ in vocabulorum fine positis illam veniam Graeci concesserunt, Latini autem omnibus longis vocalibus et diphthongis: deinde Graeci ne his quidem diphthongis eam veniam dederunt, si illae in litteram consonam exirent, qua propria illarum diphthongorum mensura ab accentus vi quasi defenditur: scripserunt igitur ἀθανάτοις et σφετέροις, non ἀθάνατοις et σφέτεροις: Latini autem non solum *ténebrae* et *dómini* sed etiam *ténebris* et *dóminis* proferre non dubitaverunt. Quae si vera sunt recteque exposita, Romani in eiusmodi vocabulis, qualia sunt *dómini*, *dóminis*, *módici*, *módicis*, quum scilicet ultimae syllabae nonnisi brevis dignitatem in quotidiano sermone concederent, voculationem trochaicam non excesserunt. Inde nonnulla in re metrica poetarum Latinorum explicanda videntur, quibus quum invicem haec accentus doctrina illustretur et confirmetur, ea paucis exponere non alienum videtur.

Qui recentiori aetate de rebus metricis via ac ratione accurate exposuerunt, in eo recte consentiunt, pedem anapaesticum quum ab universo numero iambico, tum ab omnibus iis versibus iambicis, qui ex dipodiis compositi sunt, secundum numeri legem plane excludendum esse. Nam quum iambicae dipodiae mensura ex numeri iambici legibus deducta haec sit ⏓ – ⏑ –, inde multae quidem et variae singulorum pedum formae existunt, sed anapaestus deduci ex ea nequit. Qua de causa tragici Graeci hanc numeri iambici legem secuti anapaestum in versibus iambicis detrectarunt, exceptis perpaucis quibusdam exemplis, ubi ei licentiae idonea causa non deest. At vero Romanorum et comicos et tragicos poetas in omnibus iam-

bicorum versuum locis, excepto ultimo pede, anapaestum, admittere notum est: qui cur hac in re et Graecorum exemplaria et numeri legem negligere tantopere potuerint, eius rei causam in accentu positam esse, cernere mihi videor. Nam tribrachus quum ex primis numeri iambici legibus omnes versus iambici locos occupare possit, nemo miretur, eiusmodi pedes, ut *volucris*, *dominus*, *hominis* (∪∪∪) in versibus Romanorum iambicis reperiri saepissime: sed haec vocabula quum accentum acutum in antepaenultimis syllabis positum habeant, vocis descensu ultimae eorum syllabae, ubi longae sunt, ut in *volucres*, *dominis*, *homines*, ita deprimuntur, ut in pronunciando a brevibus vix quicquam differant. Nihil igitur causae erat, cur poetae Romani in versibus iambicis a talibus anapaestis, quales efficiuntur vocabulis *dominis*, *homines*, *volucres*, *modicos*, *dubii*, aliis multis, abstinerent. Iam quum anapaestus semel receptus esset in versus iambicos, usus eius mox latius invaluit, eique tum etiam locus concessus est, ubi eadem illa ratione excusari non poterat. Simili modo anapaesti usum in versibus iambicis comicorum Graecorum explicandum esse existimo; primum ille in formis, quales sunt φέρεται, λέγεται, ἄγεται, πείθεται, σφέτερος, sine ulla dubitatione admittebatur, quod ea vocabula in vulgari hominum sermone fere ut tribrachi proferebantur; inde anapaesti usus longius processit, eique quavis condicione locus est concessus: qua in re poetae comici magis hominum sermonem, quam severas numeri leges, quae repudiant anapaestum, secuti sunt.

Haec ea de re strictim dicenda videbantur. Sed restat aliud, cuius responsio non ita facilis esse videtur. Nam

vidimus ante syllabam penultimam saepe ex longa correptam esse, ut accentus salva voculatione trochaica retrahi posset, v. c. in óritur, órimur, móritur, quum severa analogia grammatica postulet orîtur, orîmur, morîtur. Iam quum simile quiddam accidisse videatur in ultimis syllabis vocabulorum ténebrae, dóminis, módicos, aliis (scilicet ut accentus retrahi posset salva voculatione trochaica, ultima syllaba in vulgari hominum sermone paene correpte dicebatur): quaeritur, cur illae syllabae a poetis nunquam pro correptis usurpentur, quemadmodum illae penultimae in óritur et móritur: hoc enim discrimen inter utrumque genus invenitur, quod illae penultimarum correptiones etiam in poesin receptae sunt, eoque per totam linguam sancitae, sed correptiones ultimarum syllabarum a poetis prorsus repudiatae sunt. Id autem factum fuisse iudico propterea, quod poetae Latini hac in re se duci passi sunt a Graecorum exemplo. Poetae igitur Latini quamvis vulgo pronunciaretur dómin̆ĭ et tén̆ebrĭs, tamen dominī et tenebrāe ultima producta probabant, quod Graecos itidem illis declinationum terminis longarum syllabarum dignitatem tribuere viderent. Graecorum exemplum si Latinis defuisset, eos in dóminos, dúbiis, módicis ultimam correpturos fuisse non est quod dubitemus.

d. Si vocabulum trisyllabum pedem creticum implet, accentus acutus in tertiam a fine syllabam cadit, –́ ‿ –. Exempla sint régiis, Aélio, cáritas, aéquitas, púritas. Conf. Diomedes et Priscianus locis indicatis. Haec voculatio iam nulla difficultate laborat, quum forma –́ ‿ – aequalis sit ‿́‿ ‿ –, ut ante demonstravi. Haec igitur acutum ponendi ratio ad eam reducta est, de qua in ante-

cedentibus dicebamus, simulque cum ea explicata ac defensa.

Longius quam ad tertiam a fine syllabam accentum acutum non retrahi, certatim et grammatici Latini veteres tradiderunt, et alii magnae auctoritatis scriptores, ut Cicero et Quintilianus, ante illos monuerunt. Quorum dictum eo minus dubitando tentare licet, quod eam rem bonis argumentis niti in primo capite demonstravi, quodque accentu longius retracto omnes Romanae pronunciationis leges severae ac sibi constantes violantur.

Sed adhuc tantummodo diximus de vocis descensu: eius ascensum nondum attigimus. Ac de eo quidem grammatici Latini, qui accentus vim parum perspectam habent, ne verbum quidem fecerunt. Certo tamen ex iis, quae primo capite disputavi, consequi videtur, vocem eodem modo posse ascendere, quo potest descendere. Prima igitur ascendendi ratio est, ubi a gravi ad acutum ascenditur, ut in ⏑⏑⏑⏑ s. *celériter, memória, humânus*. Altera est ratio, ubi per duo intervalla ad sonum acutum vox ascendit, ut in ⏑⏑⏑⏑⏑ s. *muliébriter, pepulíssent*. Quemadmodum, ubi tertia a fine syllaba acutum habet, nihil refert, utrum ultima longa sit nec ne, sic etiam ab initio tertia ab acuto syllaba longa esse potest, h. e. –⏑⏑⏑⏑– s. *aequilíbria*: nam quod valet in vocis descensu, idem valere debet in eius ascensu. Sed quum vox haud dubie in ascendendo nihil plus possit praestare quam in descendendo, ea tantum vocabula, quae hanc mensuram –⏑⏑⏑⏑– non excedunt, uno accentu acuto proferri possunt. Quorum numerus cum longe maximus sit, minime miror dixisse grammaticos aliosque scriptores antiquos, in unoquoque voca-

bulo unum tantummodo accentum acutum invenit. Sed nihilominus bona vocabulorum pars restat, quae illam mensuram egressa sunt, et ea quidem duobus acutis excitanda esse iudico, ut linguae concentus servetur. Itaque in vocabulo *aequalitatis* (— — ⏑ — ⏑) quum vox nullo modo per quinque moras ad accentum acutum, qui inest in flexu syllabae *tâ*, ascendere possit: duae primae syllabae *aequa* suam habent voculationem, deinde vox per syllabam *li* rursus ascendit ad acutum in prima mora syllabae longae *ta* positum, et inde descendit. Quoniam Romanorum pronunciandi consuetudo ad descendendum maxime inclinat, in eiusmodi longioribus formis semper ab acuto s. flexu incipiendum est. Pronunciandum est igitur *inéx-pugnábilis, inaè-quálitas, aequi-tâtis, dìsso-ciábilis, exàuc-torâtus, ìnhu-mániter*.

CAP. IV.
ACCENTUS AFFECTIO.

Quaevis accentus affectio sive mutatio ex iis legibus quibus astrictam esse Latini sermonis voculationem vidimus, facile et intelligitur, et in pronunciando vel scribendo observatur. Sed ea in re tum singulorum hominum arbitrio, tum linguae ad deteriora immutatione quaedam ad explicandum difficilia procreata sunt, quae postea commemorabuntur, ubi ea, quae legibus Latinae pronunciationis consentanea sunt, enumeraverimus. Afficitur autem accentus, si vocabula aut crescunt aut decrescunt. Crescendi modi

sunt duo: nam vocabulum aut in principio aut in fine augetur. Ab initio rursus duobus modis crescere vocabulum potest sive mora nova sive syllaba accedente. Sic *légit* forma est temporis praesentis, cuius prior syllaba si mora una aucta fuerit, inde perfecti temporis forma *lêgit* procuditur; eodem modo temporis praesentis formae *vénit*, *fúgit*, *sédet*, *vídet* in tempore perfecto una mora auctae transeunt in *vênit*, *fûgit*, *sêdit*, *vîdit*. Alter ab initio crescendi modus est, ubi vocabulum nova syllaba augetur, ut in hisce *párat*, *réparat*; *túlit*, *cóntulit*; *cádit*, *cécidit*; *péllo*, *pépulit*. Quomodo in eiusmodi mutationibus accentus afficiatur, facile apparet. In fine itidem duobus modis crescere vocabula possunt, sive moris additis sive syllabis. Moris augentur v. c. nomina *Paêtus*, *Românus*, *Rôma*, *Crêta* in casu genitivo *Páeti*, *Románi*, *Rómae*, *Crétae*, quo simul accentus afficitur, ne violetur voculatio trochaica [17]. Alter crescendi modus per novas syllabas efficitur, ut si formae *claûdit*, *lêgit*, *Românus* transeunt in *claúditis*, *legístis*, *Romanôrum*. Sed in fine vocabula non solum crescere, sed etiam decrescere interdum possunt, eoque accentus solet affici, ut si *caédo* transit in *caêdit*, *répo* in *rêpit*, *claúdas* in *claûdat*. Crescunt praeterea voces adiunctis particulis inseparabilibus, quae sunt *que*, *ve*, *ne*, *ce*, *met*, *dem*, *nam* et interdum *cum*. Verbum tali vocula oneratum pro uno vocabulo haberi debet, et inde accentus eius facile definitur. Itaque *cóntrā* fit *con-*

17) Accentus affectio tota in eo est posita, quod in *Rómae* et *Páeti* acutus secundam longae syllabae moram elevat (⏑⏑́ —), quum is in *Rôma* ac *Paêtus* moram priorem feriat (⏑́⏑ —). Idem accentus discrimen est in *claûdit* (⏑́⏑ ⏑) et *claúditis* (⏑⏑́ ⏑ ⏑).

traque, contrave; contrane; ultra fit ultrave, frustra frustrane, populo populoque. Item populus fit populusque, suus et tuus, suusmet et tuusmet, huius et cuius, huiusce et cuiusne, ad analogiam vocabulorum legistis, scripsistis, cepistis. Hoc tum ex legibus accentus Latini a nobis expositis sponte consequitur, tum omnino cum grammaticorum regulis consentit. Conf. Diomedes p. 428., Priscianus p. 1288., Servius ad Virgilii Aen. I. 116. X. 668. Sed difficilius est ad dicendum, quomodo accentus ponendus sit, ubi syllaba particulae encliticae antecedens neque natura neque positione longa est. Grammatici quidem modo commemorati particulas encliticas que, ne, ve accentum semper in syllabam sibi proximam trahere docent, ac propterea pronunciandum esse liminaque, itane, Musaque; sed in nonnullis parum sibi constant; Priscianus enim l. c. praecipit pronunciandum esse itaque, ubi sit adverbium, itaque, ubi coniunctio. Quae inanis et falsa distinctio ita comparata est, ut gravem suspicionem in totam illam regulam moveat. Accedit, quod haec regula cum intima vocalationis Latinae natura et ingenio adversa fronte pugnat. Nullum enim ex tota Latinorum lingua vocabulum, ex pluribus quam duabus syllabis compositum, inveniri potest, quod hoc accentu notetur; atqui vocabulum cum particula inseparabili iunctum pro uno habendum est. Quod quum ita sit, Romano Augusti temporibus viventi voces itaque, denique, illave, hiccine haud dubie tanquam barbare prolatae ad aures accidissent, quum eius ex ore quasi sponte itaque, denique, illave, hiccine fluerent, et ita nos quoque pronunciare convenit. Servii quidem et Prisciani temporibus perversam illam pronunciandi consuetudinem

in usu fuisse, minime nego, sed tunc in multis a severis linguae legibus recessum erat; invaluisse autem illam ipsis grammaticis auctoribus existimo: illi enim partim mallca et fallaci analogia imponi sibi patiebantur, partim Graeci accentus legem Latino sermoni incautius obtrudere cupiebant. Nam quum animadverterent, dici *contrâque, frustrâne, populôve*, etiam *meúmne, huiúsce, tuúsmet*; in Graecis τοσόσδε, τοιόσδε: inde continuo regulam suam iusto latius ita scribebant: *particulae que, ve, ne accentum ad syllabam sibi proximam trahunt.* Operae pretium est audire Servii verba: *pronunciationis caussa contra usum Latinum ultimis, quibus particulae adiunguntur, accentus tribuitur, ut Musáque, illéne, huiúsce.* Vides, contra usum Latinum, sed iuxta usum et arbitrium grammaticorum *Musáque* et *illéne* pronunciari.

Diversa ea est accentus affectio, quae propter necessitatem metricam interdum admittitur. Nam ut sermo Latinus numeri legibus astringi et subiici posset, interdum syllabae cuiusdam quantitas, quae valebat in hominum ore et in vulgari sermone, paullulum immutanda erat, et inde accentus duplici modo afficitur. Primum enim accentus a syllaba penultima, quamvis longa sit, retrahitur, si ea propter necessitatem metricam a poeta corripitur. In communi hominum sermone quum pronunciaretur *dedérunt*, Horatius tamen Epist. I. 4, 7.:

Di tibi divitias dederunt artemque fruendi —

dederunt proferre ausus est, quod quidem hoc accentu *déderunt* pronunciandum esse apparet. Eadem licentia usus est Terentius in Eunuchi prologo v. 20.:

Menándri Eúnuchum, póstquam Aediles émerunt —

quo in versu non ad vulgarem modum *emerúnt*, sed *éme-runt* proferendum esse inde apparet, quod ultimus versus senarii pes non admittit spondeum vel trochaeum. Item communis sermo *fuerúnt* pronunciat, sed poetae quum interdum penultimam huius verbi syllabam corripiant, in iis locis accentu retracto *fúerunt* proferendum est. Casus genitivi *unîus*, *ipsîus*, *illîus*, *istîus*, *utrîus*, *solîus* vulgo ita pronunciantur, ut penultima producatur: sed poetae eam syllabam quum saepiuscule corripiant, ut Catullus V. 1:

Omnes unius aestimemus assis —

in iis poetarum locis accentu retracto pronunciandum est *únius*, *ípsius*, *íllius*, *ístius*, *útrius*, *sólius*. Conf. Diomedes p. 426. et praecipue Servius ad Virgilii Aen. I. 41. et 451.

Contraria est ratio, ubi syllaba brevis ictus rhythmici ope a poeta propter metri necessitatem producitur: id quod duobus modis fieri solet. Nam primum positionem alioqui tam debilem, ut eius ope in vulgari hominum oratione nulla syllaba producatur, poetae saepius ictu rhythmico ita intendunt, ut ea verae positionis vim accipiat. Exemplis rem planam faciam. Litterae *br*, *cr* et fere quaevis muta ante liquidam nullam efficiunt iustam positionem, et propterea in vulgari sermone *vólucris* et *ténebrae* pronunciatur; poeta autem ictus rhythmici ope penultimam producere potest, ut Virgilius fecit Georgicis III. 243. et Aeneide III. 241.:

Et genus aequoreum pecudes pictaeque volucres;

et Catullus III. 13.:

At vobis male sit malae tenebrae.

Acutus hic transit ab antepenultima in penultimam *volúcres*, *tenébrae*, ut dicimus *legístis*, *dedístis*. Quae licentia

quum in arsi saepius admitteretur, in thesi quoque aliquoties locum invenit, ut in Virgilii versu Eclog. IV. 5.:

Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.

Sed magnopere cavendum est, ne eiusmodi vocis syllabam ipsius accentus ope productam esse putemus: nam ea syllaba accentu ne elevari quidem poterat, nisi ante produceretur. Bene hanc accentus mutationem agnovit Quintilianus. I. O. I, 5, 28.: *evenit, ut metri quoque condicio mutet accentum, ut pecudes pictaeque volucres: nam volucres media acuta legam, quia etsi brevis natura, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus heroicus.* Conf. Priscian. p. 1289. Servius igitur, qui ad Virgilii Aen. I. 384. contraria docuit, aut erravit, aut sui temporis perversam pronunciationem pro norma habuit. Scribit is ad verbum *peragro* a Virgilio longa penultima adhibitum haec: *per habet accentum; nam ā longa quidem est, sed non solida positione: muta enim et liquida quoties ponuntur, metrum iuvant, non accentum.* Haec et quae in eodem commentario ad Aen. XI. 463. annotata leguntur, si ab eodem homine scripta sunt, Servius in hoc secundo loco contra se ipsum disputavit: scribit enim ad Virgilii vocem *maniplis* haec: *ars quidem exigebat, ut mā haberet accentum; nī enim longa quidem est, sed ex muta et liquida: quod quoties fit, tertia a fine sortitur accentum, ut latebrae, tenebrae: tamen in hoc* (scil. poetico) *sermone ut secunda a fine accentum habeat, usus obtinuit.*

Paullo diversa ea est ratio, ubi vocalis brevis posita ante simplicem consonantem, quae pro natura sua facile duplicari potest, accedente ictu rhythmico propter metri-

eam necessitatem producitur. Verbi causa, *cuculus*, et in vulgari sermone, et secundum analogiam grammaticam penultima brevi dicitur, sed in versu ex Plauti Trinum. II, 4, 23:

ubi ille cuculus? Ocelle mi, fiunt

quia penultima producta est, ictus rhythmici auxilio, pronunciandum est mutato accentu *cúculus*, quasi scriptum sit *cúcullus*. Conf. Horat. Serm. I, 7, 31. Sed cavendum est, ne talia barbara sic proferamus *cucûlus*. Aut lexicographis credamus, penultimam vocis *cuculus* syllabam esse ancipitem, h. e. modo brevem, modo longam. A novis Romanis pronunciabatur *fecerimus*: sed Catullus, quum ictus rhythmici auxilio, eius vocabuli penultimam syllabam produxerit V, 10:

Dein, quum millia multa fecerimus,

ita ea proferenda est, tanquam si scriptum esset *fecerrimus*. Hanc productionem adiuvari litteris liquidis, quod eae scilicet se duplicari facile permittunt, satis constat. Inde explicandum videtur, quod in Ennii versu quadrato, a Gellio IV, 7, 5, laudato, nominis *Hannibalis* syllaba penultima producta profertur. Versus est:

quique propter Hannibalis copias considerant.

Ut numerus constet, *Hannibális* pronunciandum est, quasi scriptum esset *Hannibállis*. Eodem modo explicandum videtur, quod idem Ennius in senario, a Cicerone Tuscul. I, 44, 105, allato, nomen *Hectorem* producta penultima admisit:

Hectorem curru quadriiugo raptarier.

quodque Varro (*Anthol. Lat.* I, p. 50.) *Hannibalis* nomine producta penultima usus est:

Noctu Hannibalis quum fugavi exercitum.

Haec veterum poetarum licentia, qua brevem syllabam ante litteras liquidas in arsi producerent, multos in eum errorem induxit, ut illos *Hectôrem*, *Nestôrem*, *Hannibâlem*, *Hasdrubâlem* pronunciavisse putarent, quo quum accederet multorum Latini sermonis nominum analogia, ut *praetôris*, *quaestôris*, *animâlis*, aliorum, inde in vulgari sermone haec falsa prosodia invaluit. Sed huius rei perversitatem quum perspiceret Accius, summus tragoediarum scriptor, illam poetarum licentiam detrectavit et cum prosodia Graeca simul formam Graeci accusativi recepit, ita ut *Hectora*, non *Hectorem* admitteret. Haec, quae breviter exposui, nonnullis veterum grammaticorum locis illustrabo. M. T. Varro de ling. Lat. IX. 178. ed. Bipont. sive X. p. 583. ed. Spengel.: *de genere multi utuntur non modo poetae, sed etiam plerique* [*haec primo omnis*], *qui soluta oratione loquuntur, dicebant ut quaestōrem, praetōrem, sic Hectōrem, Nestōrem. Itaque Ennius ait:*

Hectoris natum de Troiano muro iactari.

Accius hoc in tragoediis largius a prisca consuetudine movere coepit et ad formas Graecas verborum magis revocare, et a quo Valerius ait:

Accius Hectorem nollet facere, Hectora mallet.

Verba *haec primo omnis* aut prorsus corrupta, aut e glossa margini adscripta nata videntur; pro *de genere* lege *eo genere*. Ennii verba versum non efficiunt et a Varrone negligenter paucis mutatis allata sunt; ipsius poetae verba haec fuisse suspicor:

Hectoris natum de muro iactarier.

Spondeum quarto pede admissum offensioni esse non debet. Etiam verba *et a quo Valerius ait* leviter vitiata videntur. Ceterum Varronis aetate pronunciationem illam iam obsoletam fuisse ex ipsius verbis (*dicebant*) apparet, cuius rei causa in eo posita videtur, quod ceteri poetae Accii auctoritate permoti a licentia illa abstinerent, quodque vero eorum nominum prosodia magis magisque innotesceret. Sed nihilominus eruditi nonnulli *vestigiis avis* delectabantur, ut illi, de quibus loquitur Quintilianus I. 5, 59. *ut si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quicquam ex Latina ratione mutandum — quin etiam laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam Latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur. Inde Castorem media syllaba producta pronunciarunt, quia hoc [omnibus] nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem, quas Castor, litteras exit.* Eandem pronunciandi rationem Valerius Probus, a Gellio IV. 7. laudatus, satis imperite probavit: *Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit. Is Hannibâlem et Hasdrubâlem et Hamilcârem ita pronunciabat, ut penultimam circumflecteret, ut est epistola eius scripta ad Marcellum, in qua Plautum et Ennium multosque alios veteres eo modo pronunciasse affirmat. Solius tamen Ennii versum unum ponit ex libro, qui Scipio inscribitur. Eum versum quadrato numero factum subiecimus, in quo nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexa promatur, numerus clausurus est.* Sequitur Ennii versus supra transcriptus. Probus hic animadverterat Ennium et Plautum aliquoties produxisse syllabam penultimam in nominibus *Hannibalis* et

Hamilcanis: cuius rei causam quum assequi non posset, perperam inde collegit ea nomina cum circumflexu proferenda esse.

Restat ea accentus affectio, quae tum accidit, si in vocabulis polysyllabis una syllaba per celerem pronunciationem supprimitur, idque saepissime in poetarum comicorum versibus evenire solet. Extrita vel suppressa vocis cuiusdam syllaba, accentus tantum a fine recedit, quantum permittunt Latinae enunciationis leges. Itaque *promisísti* fit *promísti*, *praescripsístis praescrípstis*, *accessísti accésti* et *accessístis accêstis*, *produxísti prodúxti* et *produxísse prodûxe*, *dixísti díxti* et *dixístis dîxtis*; item *surrípuit* fit *súrpuit*, *libérius líbrius*, *benéficus* et *maléficus bénficus* et *málficus*, *benévolus* et *malévolus bénvolus* et *málvolus*. Ex hac pronunciatione in recentiore Italorum lingua orta sunt nomina propria *Benvolio* et *Malvolio*, quum ob eam Romanos, ubi vocabula *benevolus* et *malevolus* tribus syllabis proferrent, non dixisse *bnevolus* et *mlevolus*, sed ut nos scripsimus, existimo. Item accentus retrahitur, si pro *abiéctis* dicitur *ábjetis*, pro *metúero métuero*, pro *posúero pósuero*, pro *muliérum múlierum*, pro *aríolus hárjolus*. Alia eius generis omitto. Sed non est praetereundum silentio, non semper retrahi suppressa syllaba accentum, v. c. si pro *abdómini* dicitur *abdómni*[18], accentus propter penultimae syllabae positionem non regreditur; idem evenit in *misericórdia* et *misercórdia*.

Accentus denique afficitur abiectione postremae litterae vocalis. In Graecis quidem ea elisione nunquam affi- ci-

18) Conf. Bentleius ad *Terentii Eunuch.* III. 2, 7.

citur accentus: nam tum ἔκρεῖτε dicitur, tum ἔκρεῖτ' ἄρα, tum δώματα, tum δώματ' αὐτοῦ: at vero hoc secus esse in Latinis nullo negotio intelligitur, quamvis nemo grammaticorum ea de re monuerit, immo nonnulli contrarium praecipiant. Quum enim Latini ad retrahendum accentum nimium quantum inclinent, hoc ubi fieri potest, nunquam ab iis negligi consentaneum videtur. Itaque quum in *concêde* et *recêde* propter voculationis leges accentus longius a fine regredi non possit, tamen simulac concurrerent *concede huc* et *recede illuc*, quae pronunciantur *conced' huc* et *reced' illuc*, Romanos protulisse *cónced'* et *réced'*, non *concêd'* et *recêd'*, quum per se certum esse videtur, tum eo vel maxime confirmatur, quod tunc in poetarum comicorum versibus illae syllabae saepissime corripiuntur. Pronunciandum est igitur *ágitavi íllum*, *inspíciundi essent*, *mónumentum egregium*, *nôbili iniuria*, *tántone equo*. Conf. Hermannus *Elementis doctr. metr.* p. 66. Hanc tamen accentus affectionem versibus tantummodo et versuum recitationi vindicandam esse censeo: in versibus enim ipse numerus efficit, ut syllaba per apostrophum supprimenda prorsus obscuretur, quum ea in oratione soluta semper aliqua ex parte audiatur. Inde grammaticorum quorundam praeceptum, secundum quod vocabulum per apostrophum deminutum accentum, qui in integro erat, servat, originem duxisse videtur. Sic v. c. praecipit Servius ad Virgilii Aen. XII. 503.: *sane tantôn' circumflectitur: nam quum per apostrophum apocopen verba patiuntur, is qui in integra parte fuerat, perseverat accentus.* Conf. idem ad Aen. X. 668.

CAP. V.

DE ACCENTU VOCABULORUM, QUAE DE GRAECIS IN SERMONEM LATINUM RECEPTA SUNT.

Non quaeritur in hac nostrae commentationis parte, num Latini Graeca legentes suo an Graeco accentu uti maluerint, ut ex nostratibus multi Graeca cum Latino accentu pronunciare solent: nam Romanos Graeca cum Graeco accentu legisse vel inde patet, quod illi linguam Graecam non ex libris grammaticorum, sed a Graecis hominibus sive in ipsis Graeciae oppidis, sive Romae docebantur, qua quidem re eos Graecorum pronunciatione assuesci oportebat. Sed hoc potius quaerimus, num Latini ea vocabula, quae de Graecis nulla formae mutatione facta in linguam suam receperunt, Graeco an Latino accentu proferre maluerint, v. c. utrum legerint *philosophía*, *analogía*, *philología*, ut in Graecis φιλοσοφία, ἀναλογία, φιλολογία, an Latine *philosóphia*, *análogia*, *philológia*. Eiusmodi verba quum in Latinis Romani adhiberent, Latino accentu, non Graeco, eos usos esse, h. e. eos protulisse *philósophia* et *philológia* ad analogiam vocabulorum Latinorum *colónia*, *Ferónia*, et ratione evincitur et veterum testimoniis comprobatur. Nam quum Romanorum ingenium et natura ita comparata esset, ut peregrinis se minime accommodarent, sed externa ad suam consuetudinem conformarent: Cicero et Hortensius aliique oratores si apud iudices vel pro con-

cione *philosophía* vel simile quid contra usum Latinum dicere ausi essent, haud dubie auditorum risum excitassent. Quod quum ita sit, in privatis etiam sermonibus vel eruditissimos eiusmodi vocabula, quae diverso accentu in Graecis enunciari bene scirent, Latino accentu protulisse consentaneum esse videtur. Haec quae in universum disputavimus, luculentis veterum testimoniis confirmantur, quae iam breviter considerare placet. Quintilianus de vitiis per accentus falso positos disserens haec scribit I. 5, 22 — 24.: *adhuc difficilior observatio est per tenores — quum acuta et gravis alia pro alia ponitur* (h. e. perperam ponitur), *ut in hoc Camillus si acuitur prima* [19]), *aut gravis pro flexa, ut Cethegus et hic prima acuta* [20]), *aut flexa pro gravi, aut apice circumducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant* [21]): *sed id saepius in*

---

19) Acuenda est enim secunda ac pronunciandum *Camíllus*, non *Cámillus*.

20) H. e. si falso pronunciatur nomen *Céthegus* pro *Cethêgus*. In sequentibus vulgo legitur *ut apice*, sed libri *aut apice* exhibent, quod verum est. Conf. Spaldingius in Supplementis suis ad Quintil. tom. V. p. 34. 35. ed. Zumptius.

21) Si apice sequens syllaba circumducitur, h. e. circumflexu notatur, primum in eo peccant, quod accentum perverse ponunt, tum, quod ex duabus syllabis unam faciunt. Quintiliano haec scribenti ea exempla, quae paullo post ad rem illustrandam affert, animo obversabantur, *Teréï* ac *Neréï*. In his enim vocabulis dupliciter peccatur, si pronunciantur *Terêi*, *Nerêi*: nam tum non solum perverse positus est accentus, sed etiam syllabae duae contra usum Latinum in unam coactae sunt. Is autem, qui *Atrêus* pronunciat, simpliciter peccat accentu tantummodo perverse prolato, et hoc illud est, *aut flexa pro gravi*. Multum vexavit hic locus Spaldingium, alios: Zumptius etiam l. c. de his Quintiliani verbis disseruit, et quidem ita, ut a vero prope abesset. Quomodo Quintilianus syllabam circumflexu notatam apte appellare potuerit *apice circumductam*, infra c. VIII. docebo.

Graecis nominibus accidit, ut A t r e u s, *quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset, item* T e r ë i *N e r ë i que.* Vitium igitur Quintiliano committere videbatur, si quis pronunciaret *Átreus* more Graeco, vel *Atreûs*, quae voculatio neque Graeca neque Latina vocari potest: quumque idem narret, doctissimos senes dixisse *Átreus*, item *Téreï* ac *Néreï*, inde recte colligere equidem mihi videor, eam pronunciationem florentis linguae Latinae aetate vulgarem fuisse ac temporis progressu graecissantium cupiditate et vitio interdum immutatam esse ac violatam. Ad hanc sententiam confirmandam aptum est etiam Olympiodori testimonium iam ante, sed alia de causa, p. 17. allatum: τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλληνες. τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουσι, Γραῖκοι λέγοντες. Hinc apparet, Romanos nomen peregrinum accentu suo protulisse. Sed Olympiodorus ex perantiquo sive scriptore sive Aristotelis interprete haec transcripsisse videtur. Scripta enim haec sunt eo tempore, quo Romani a Graecorum formis nondum ita recesserant, ut factum est post Ennii tempora, h. e. scripta sunt illa, quum Romani *Graîcoi* s. *Graêcoi* dicebant; nam postea neque *Graîcoi* s. *Graêcoi*, neque *Graîci* s. *Graêci*, sed *Graéci* pronunciaverunt. Tertium denique accedat Servii testimonium ad *Virgilii Bucolica* (tom. I. p. 2. b. ed. Burm.) propositum: *notandum quoque Bucolica vel Georgica, quum apud Graecos in fine habeant accentum, apud nos in tertia a fine habere: nam ut in ultima sit, Latinitas vetat, ut in penultima non sit, brevitatis efficit ratio.* Conf. quae idem disputavit ad *Virgilii Eclog.* X. 1.: *sane* A r e t h û s a *secundum La-*

tinitatem in penultima habet accentum, secundum rationem Graecam in tertia a fine, Ἀρέθουσα, *sicut Creûsa et* Κρέουσα. Graeca igitur vocabula in Latinis Latine pronuncianda sunt, v. e. ἱστορία *historia,* φιλολογία *philologia,* ἀναλογία *analogia,* ποίησις *poêsis,* ἱστορικός *historicus,* φυσικός *physicus,* βουκολικά *bucolica,* γεωργικά *georgica,* ἀκαδημικά *academica,* μουσική *musice* s. *musica,* Αἰτωλός *Aetôlus,* Βοιωτός *Boeôtus,* Φιλητᾶς *Philetas,* Σατανᾶς *Satanas,* Λιχᾶς *Lichas,* Ἡρακλῆς *Hercules,* Σοφοκλῆς *Sophocles,* Εὐριπίδης *Euripides.* Haec quamvis satis certa et ipsius rei naturae consentanea videantur, alii tamen grammatici ad graecissandum nimium proclives contraria praecipiunt, ut Diomedes II. p. 428.: *sane verba Graeca Graecis accentibus efferimus, si iisdem litteris pronunciaverimus* — h. e. si Graecum verbum nullam formae mutationem patitur. Similia praecipit Maxim. Victorinus p. 1943. Sed ad horum praecepta si quis *historia, philosophia* et alia eiusdem generis pronunciaverit, is peiora eligit, meliora relinquit. Non tanta cum confidentia, quanta Diomedes et Victorinus, hac de re scripsit Donatus p. 1741.: *sane Graeca verba Graecis accentibus melius efferimus.*

CAP. VI.

ACCENTUS SINGULORUM HOMINUM ARBITRIO IMMUTATUS.

Pronunciandi leges a nobis expositas insigni quadam et rigida fere constantia quum Romani sequerentur, nihilominus

retrahitur, sequenda est et contemnendum illud novandi studium, quod paullo ante Quintiliani aetatem ortum deinde latius invaluit. Nam alia vocum discrimina, per accentum auribus vel oculis percipienda, serioris temporis grammatici tradiderunt, quorum nonnulla iam a Quintiliani aequalibus inventa esse et excogitata coniicio. Adverbium *pone* pronunciandum esse *póne* praecipiunt, contra verbi *ponere* imperativum ad vulgarem usum *pône* proferri volunt. Diomedes II. p. 428. Conf. Priscianus p. 1288. sive t. II. p. 364., Donatus p. 1741., Max. Victorinus p. 1943. Idem Priscianus eodem loco praecipit, ut pronuncietur *êrgo*[24], ne putetur esse coniunctio rationalis, quae sit *ergó*. Sed nobis meliorem et antiquum pronunciandi morem sequentibus et *érgō* et *érgŏ* proferre aptum et elegans esse videtur. Florente enim lingua Latina Romanos pronunciasse *érgō*, non *ergô*, quum inde apparet, quod illi nullam vocem acuto tenore concludebant, tum inde, quod minus est verisimile, eos in vocabulo a Graecis accepto (ἔργῳ) Graecum accentum ori suo aptissimum immutavisse. Ab antiquo illo et constanti pronunciandi usu ea quoque ab-

24) H. Putschius accentum, qui in libris manu scriptis deesse videtur, omisit, Lindemannus et Krehlius *ergó* scripserunt, sed falso. Nam *ergo* ubi est Graecum ἔργῳ, vimque praepositionis habet, ultimam syllabam producit, ideoque in illo Prisciani loco scribendum est *ergô*, quum in Latinorum sermone quaevis longa syllaba, si accentu notatur, flexum accipiat, ubi locus eius syllabae illum admittit. Hanc scripturam ex ipsius rei natura petitam et commendatam confirmat etiam Diomedes II. p. 428.: *denique circumflexus ponitur in ea particula, quae est apud Virgilium* (Aen. VI. 670.): *illius ergô venimus*. Conf. Maximus Victorinus p. 1943. et praecipue Servius ad *Virgilii Aen.* VI. 670., qui de *ergo* scribit: *est sola particula, quae habet in fine circumflexum.*

horrere videntur, quae grammatici de praepositionibus duas syllabas numerantibus praecipere solent, acui scilicet posteriorem earum syllabam. Transcribam Prisciani praeceptum, quod proposuit XIV. p. 977. sive t. I. p. 584. 585.: *accentum habent praepositiones* (intellige bisyllabas) *acutum in fine tam apud Graecos, quam apud Latinos, qui tamen cum aliis legendo in gravem convertitur, nisi praepostere proferantur,* (h. e. nomini suo postponantur,) *quod Aeoles quoque, quamvis fugiant in fine acutum, in hac parte solent servare, quos in plerisque secuti in hoc quoque sequimur.* Conf. idem p. 1300. sive t. II. p. 383.: *praepositio vero semper in fine accentum servat, ut apúd, anté.* Idem Prisciano antiquior Servius persuasum habuit et docuit, quum ad Virgilii (Aen. XII. 177.) verba *quam propter* haec scribat: *propter: penultima habet accentum, quia est postposita praepositio.* Cf. Diomedes II. p. 428. Sed haec voculandi ratio Quintiliano quidem eiusve aequalibus ignota aut non probata esse videtur: nam Quintilianus acutum in ultima syllaba positum improbat utpote a veterum lege discrepantem [25]): aequales autem eius pronomina tantum quaedam et adverbia acuto tenore ita concludebant, ut vocum discrimina cognoscerentur. Pronunciabimus igitur contra Prisciani praecepta et secundum veterum legem *ápud* et *ánte.* Sed redeamus ad distinctiones vocum per accentum a quibusdam temere factas, cuius rei lucuIentum simulque perantiquum exemplum servavit A. Gellius *Noctibus Atticis* XIII. 25., ubi P. Nigidius Figulus,

25) Praeter locum modo transcriptum conf. XII. 10, 33.: *ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, nec flexa circumducitur, sed in gravem vel duas graves cadit semper.*

Ciceronis et Varronis aequalis, haec tanquam acute a se animadversa venditare nobis conatur: *deinde vocatio qui poterit servari, si non scimus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi an vocandi sint? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quam prima, deinde novissima deiicitur: at in casu vocandi summo tono est prima, deinde gradatim descendunt.* Examinemus singula. Primum quod dicit, *Valéri* in casu genitivo (interrogandi) penultimam acuere, recte praecipit. Nam *Valéri* quum ortum sit ex *Valérii*, non licebat eodem iure dicere *Váleri* quo *Valério*: nam *Valéri* propter syllabarum duarum contractionem ita pronunciabatur, ut duae vocalis ī morae plane audirentur; unde accidit, ut sub Augusti senescentis aetatem et postea *Valérii* dicere solerent. Conf. Bentleius ad *Terentii Andriam* II. 1, 20. Barbare igitur nostrae aetatis iurisconsulti *res máncipi* et *ius máncipi* proferunt: pronunciandum est *mancípî*. Sed casum vocandi pronunciandum esse *Váleri*, quod praecipit idem Nigidius, in eo haud dubie erravit: ut enim ex *Valérii* nascitur *Valéri*, sic ex *Valérie Valéri*, ex *Tibérie Tibéri*, ex *fílie fíli*, ex *míe mî*. Sed dicat aliquis: non licet analogiae tantum tribuere, ut ea confisus grammatici nobilis et perantiqui testimonium refellere audeas. Ad ea duplex parata est responsio. Primum enim Nigidii verba ita comparata sunt, ut appareat, illum non tradere, quod a Romanis sui temporis fieri soleret, sed reprehendi ab eo et imperiose corrigi aequales, qui in casu vocandi *Valéri* et *Tibéri* recte pronunciabant. Tum vero A. Gellius l. c. tradit, suo quidem tempore secundum istud Nigidii praeceptum neminem in casu vocandi dixisse *Váleri*,

sed omnes *Valeri*. Gellii verba haec sunt: *sed si quis nunc Valerium appellans in casu vocandi secundum id praeceptum Nigidii acuerit primam, non aberit, quin rideatur.* Eadem de re audiendus est Priscianus: is VII. p. 739. sive t. I. p. 303-304., postquam tradidit, antiquos scriptores dixisse *Virgilie* et *Mercurie*, sic pergit: *iuniores autem gaudentes brevitate per abscisionem*[26]) *extremae protulerunt pro Virgilie Virgili, et pro Mercurie Mercuri. Horatius in primo Carminum: Mercuri facunde nepos Atlantis. In eodem: multis ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior, quam tibi, Virgili. Unde accentus perfecti vocativi in his servatur. Si enim non esset abscisio, debuerunt huiuscemodi vocativi, id est qui in i desinentes penultimam correptam habent, antepenultimam acuere, ut Virgili, Mercuri, quod minime licet: nam penultimam acuimus. In abscisionibus enim, si ea vocalis, in qua est accentus, integra manet, servat etiam accentum integrum, ut audivit audit, nostratis nostras, illicce illic*[27]). Conf.

26) Extremum *e* in *Virgili* et *Tiberi* non *abscisum* est (tum enim ultima syllaba *li* et *ri* brevis esset), sed cum vocali *i* concrevit, quae inde longa facta est.

27) Haec postrema haud dubie falsa sunt. Nam si unquam scriptor antiquus pro *audivit audit* dicere ausus est, haec forma, quamvis orta sit per contractionem ex *audiit*, propter acutam quasi litterae *t* naturam correpta ultima pronuncianda erat *audit*, ut *sit* et *amat* dicitur, quamvis prius ex *siet*, posterius ex *amaït* ortum sit. Quum igitur *audît* nullo modo dici posset, quumque *audit* auribus Romanis intolerandum esset, nihil restat, nisi ut *audît* prolatum fuisse statuamus, si haec perfecti forma ab ullo admissa est. Multo melius de harum formarum accentu Servius ad *Virgilii Aen.* I. 451. exposuit: *sane quum in vi exit* (perfectum), *penultima longa est et ipsa accen-*

Servius ad *Virgilii Aen.* I. 451. Iam vero si quis putaverit, Ciceronis et Nigidii aetate Romanos in casu vocandi *Váleri* pronunciasse, quam pronunciationem repugnare analogiae vidimus, idem existimare debebit, Gellii et Prisciani temporibus ex falsa illa voculatione veram ortam esse; id autem quam sit improbabile, nemo non intelligit. Corrupta enim est illis temporibus lingua Latina, emendata minime.

Accedant alia grammaticorum testimonia, quae in suspicionem incurrant. Satis notum est, praecipere grammaticos nomina quaedam masculini generis in *as* desinentia accentum in ultima syllaba collocatum habere. Sufficiat ea de re unius Prisciani attulisse praeceptum, quod dedit p. 1293. sive t. II. p. 371.: *notantur pauca masculini generis partim propria, partim a nominibus civitatum propriis translata, quae per syncopam proferuntur, dum accentum in ultimo servant, quod est contra regulam Latinorum, ut Maecenâs, Larinâs, Arpinâs, sed in vetustissimis libris inveniuntur proferri Larinatis, Maecenatis, Arpinatis, pro Larinas, Maecenas, Arpinas; unde subtracta ti accentus remansit.* Accedant ad haec exempla ex Prisciano p. 762. (t. I. p. 331. 332.) *Capenâs, Ardeâs, Casinâs, Farentinâs;* accedant *vestrâs, nostrâs* et *summâs* ex eodem Prisciano p. 943. sive t. I. p. 549. Etiam de huius praecepti veritate licet

---

tum retinet, quum vero in ii, penultima brevis est et perdit accentum. De altero Prisciani exemplo *nostrâs* statim dicemus: tertium *íllic* non est ortum ex *illícce*, sed ex *illi* et *ce*, ut *íllac* ex *illa* et *ce*, quod quum mutilatum longae vocali adiungitur, eam interdum corripit: pronunciandum est igitur *íllic*, ut *íllac*.

dubitare. Antiquae enim illae atque obsoletae nominativi formae *Maecenâtis, Larinâtis, Capenâtis*, nulla alia de causa mutilatae esse videntur, quam ut studio illi accentus retrahendi obsequi, h. e. ut *Larínas* et *Maecénas* proferre possent. Eadem de causa ex formis *animâle* et *torculâre* ortas esse *ánimal* et *tórcular* supra non sine magna veritatis specie suspicati sumus. Huc accedit, quod nomen *Maecenas* ab Etruscis Romani acceperunt: Etrusci autem, quum immodico accentus retrahendi studio tenerentur, haud dubie vel *Maecénas* vel *Maécnas* proferebant, et inde Romanos florentis linguae Latinae aetate non *Maecenâs*, sed *Maecénas* pronunciavisse consequi videtur, id quod confirmat Sergius p. 1835.: *in tribus* (adde vel saltem intellige *longis*) *sic penultima acuetur, ut Maecénas.*

In erroribus per fallacem rationem ortis etiam illud referendum censeo, quod Annianus poeta, ab aequali A. Gellio VII. 7. laudatus, quum is in quibusdam vocabulis compositis syllabam *ad* accentu elevari animadvertisset, ut in *ádmodum, ádprobus, áffatim, áffabre,* fallaci analogia se in eum errorem duci passus est, ut etiam *exádversum* pro *exadvérsum* dicendum esse opinaretur. Gellii verba sunt: *sicuti in eo quoque, quod exadversum dicimus, secundam syllabam debere acui existimabat, quoniam una, non duae essent orationis partes.*

Ab antiqua et eleganti pronunciandi consuetudine ea aliena esse videntur, quae Priscianus docet VIII. p. 803. s. tom. I. p. 385.: *si vero facio vel fio integris manentibus aliud verbum infinitum ante ea componatur, non solum significationes integras eis servamus, sed etiam accentus, ut calefácio, calefácis, calefácit, tepe-*

facio, tepefacis, tepefacit. In secunda enim et tertia persona penultimas acuimus, quamvis sunt breves. Similiter calefio, calefis, calefit, tepefio, tepefis, tepefit finales servant accentus in secunda et tertia persona, quos habent in simplicibus. Pronunciatio *calefacis, calefacit* cet. Prisciani aetati tribuenda et relinquenda est; vigentis autem linguae Latinae aetate quisque Romanorum ad concentus leges haud dubie dicebat *calefacis, calefacit, calefis, calefit.* Syllaba enim *ē*, quae, quum haec vocabula ex *calidē fis* et *calidē fit* orta sint, antiquitus longa erat, nulla alia de causa correpta esse videtur, quam ut accentus retrahi posset, immo tota illa contractio formarum *calide* et *tepide* in *cale* et *tepe* accentus retrahendi gratia forsitan instituta sit in *tepefis*, *calefis*, *tepefit* et *calefit*, et inde translata etiam ad *calefio*, *tepefacio* cet. *Calefacis* et *calefit* si qui pronunciarent, ii verbum compositum non ut unum, sed tanquam duo vocabula perperam proferebant. Idem dici velim de vocabulis *siquando*, *nequando*, quae interdum pronunciari *siquando* et *nequando* grammatici tradunt.

CAP. VII.
DE ACCENTU IN PLAUTI ET TERENTII VERSIBUS.

Quum in antecedentibus (cap. IV.) quasdam accentus affectiones, per necessitatem metricam effectas et excusandas, enumerarem: poetarum Latinorum scenicorum in accentu

moderando insignem libertatem ac veniam, quae post doctrinam quandam a Bentleio inconsiderate propositam a novis criticis sine severo examine vulgo accipitur, ne verbo quidem commemorandam esse putavi propterea, quod eam licentiam nullam esse intelligere mihi videbar. Sed hoc ne forte negligentia aut rei ignoratione fecisse credar, nunc totum illum locum peculiari disputatione illustrandum in me suscipio.

Accentus vocum tam penitus cum toto uniuscuiusque linguae ingenio et natura coniunctus est, ut ne audacissimus quidem poeta a consuetudine inveterata omniumque usu sancita multum audeat recedere: immo ne positum quidem est in poetae vel alius scriptoris arbitrio et potestate, contra usum vulgarem multa in ea re immutare: accentus enim verbis suis non tribuit poeta, sed eos aut inter legendum addit lector, aut in scena actor, quem contra vulgarem pronunciandi morem peccantem, ut Hegelochum, spectatores ridendo explodunt. Sed nihilominus Plauto ac Terentio ceterisque comoediarum tragoediarumque scriptoribus, qui inde a primo bello Punico non sine laude fabulas composuerunt, quique liberrima prosodia utebantur, maximam accentus moderandi veniam concessam esse vulgo existimant. Res sic se habet. In Latinorum versibus iambicis et trochaicis accentus acutus vel flexus cum arsi sive ictu rhythmico aliquanto saepius quam in Graecis consentit propterea, quod is in sermone Latino magis quam in Graeco ad longas syllabas inclinat, quodque persaepe in syllaba penultima ponitur. Quod quum Richardus Bentleius peregregie animadvertisset, inde, quia veram rei rationem ignoraret, ad immanem errorem de-

ductus est, ut utrumque momentum, ictum rhythmicum et accentum, idem esse opinaretur. Quapropter sub finem *Schediasmatis* sui de versibus Terentianis conscripti, accentus Latini leges praecipuas quum exposuisset, eas continuo ad metiendos Terentii versus transferre et accommodare conatus est. Iam quum in versibus sane pluribus ictum rhythmicum contra accentus legem positum videret, ut bis saltem in hoc Terentii versu:

malúm, quod isti dí deaeque omnés duint,

aut ter saltem in hoc Plauti:

laudém, lucrum, ludúm, iocum, festívitatem, ferias,

eum ictum in *malúm*, *omnés*, *laudém*, *ludúm*, *festívitatem* nihilominus accentum esse, sed eum contra vulgarem pronunciandi usum admissum et poetica licentia excusandum, confidenter pronunciabat. Quae quidem ratio quam sit lubrica et fallax, vel inde apparet, quod Terentius, si vera esset Bentleii doctrina, in primi actus prima scena, quae est in *Andria*, sexagies et quater saltem propter accentum falso positum excusandus esset: toties enim vel adeo saepius in una illa scena ictus rhythmicus ab accentu discedit. Quae exempla animi causa apponere omnia placet, ut eo magis appareat, quantopere Terentius ceterique poetae scenici auditorum suorum abusi fuerint et indulgentia et patientia. V. 2. *dictúm*. 3. *aliúd*. 6. *intellexí*. 8. *sempér*. 9. *apúd*[28]. 10. *libertús*. 12. *persolví*. 14. *placeát*. 17. *benéfici*. 19. *praedicó*. 22. *consiliúm*. 27. *aetás* et *prohibebánt*. 30. *philósophos*. 38. *numquám*. 39. *amicos*.

---

28) Hoc exemplum grammaticorum auctoritate huic numero eximi potest.

cor. 41. *edidit.* 46. *adportat.* 50. *meus.* 54. *esset.* 55. *egomet.* 56. *dedit* et *alia.* 64. *spectatum.* 68. *vitae.* 70. *fortunae.* 72. *impulsu.* 73. *gnatam.* 75. *placuit* et *abstulit.* 78. *Chrysis* et *factum.* 80. *illis* et *aderat.* 85. *facile.* 86. *ingeni.* 87. *mansuetudo* et *multa.* 88. *egomet.* 89. *etiam.* 92. *forma.* 93. *adeo.* 96. *pedisequa.* 110. *aegre.* 111. *peccata.* 114. *recte.* 115. *auxilium.* 117. *valde.* 122. *negat.* 124. *praescripsit.* 125. *adeis* et *videndum.* 126. *interea.* 127. *igitur* et *abiungendus.* 132. *simul* et *consili.* 133. *obsint.* 136. *quapropter.* 139. *restat.* 141. *tuum.* 142. *perfert facinus.* 143. *consili* et *caput.* Neminem enim mirandi exempla supra posita esse video, cum multa omisi, in quibus aut accentus duplex statui potest, aut elisionis ope, aut propter aliam rationem accentus cum ictu rhythmico consentiret; ea de causa nihil accentus esse videtur (omisi etiam omnes eos locos, in quibus ictus secundi in dipodia pedis discrepat ab accentu: et tamen poeta ex Bentleii doctrina coegit quater una in scena accentus legem migravit. Sed Bentleius haec omnia minus curabat et hunc in modum sub finem *Schediasmatis* sui defendere se posse putabat (p. XX. ed. Lips.): *quum igitur hunc atque similesque apud nostrum videris*, *malum, quod isti di deaeque omnes duint!* — *cave vitio id poetae verteris, etsi malum illud et omnes si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel invitae patienter id ferebant, sine quo ne una quidem in fabula scaena poterat edolari.* At vero non solum in communi sermone, sed etiam in scena deridiculo fuisset, si quis in *malum* et *omnes* ul-

timam acuere ausus esset. Neque unquam Plautus et Terentius conati sunt neque conari potuerunt sana mente id admittere, quo constans Romanorum pronuntiandi consuetudo sublata aut violata esset: immo uterque accentum posuit, ut ceteri Romani, in prima syllaba, *ómnes, málum*, ictum rhythmicum vero in ultima, *omnés, malúm*, id quod utrique sine ulla venia vel aurium patientia facere eodem iure licuit, quo poetae Graeci in versibus iambicis talibus pedibus utuntur, quales sunt *ἄγει, λέγε*, [illegible], et in versibus trochaicis talibus, quales sunt [illegible] (omentum): nam in his quoque mensura rhythmica longe diversa est ab ea, quam praescribit accentus sive harmonia; neque tamen inter legendum accentus aut supprimitur aut de loco suo movetur. Sic quoque in Terentii versu penultima vocabulorum *omnes* et *malum* acuto elevatur, ultima ictu rhythmico feritur, quod notis ita indicaverim, *ómnés, málúm*. Sed Bentleius, quum semel in maximum errorem se implicuisset, in eo tantum progressus est, ut etiam versus heroicos non ad pedes rhythmicos, sed ad accentus normam recitare iuberet, v. c. secundum ex Virgilii Aeneide versum sic esse legendum praecipiebat:

Itáliam fáto prófugus Lavínaque vénit —

quae quidem prorsus falsa est ratio: nam hoc quid est aliud, nisi versus numero neglecto et oppresso ut prosam orationem vel solam concinnius legens recitare? Immo versus heroici, ut omnes versus, legendi sunt ad numeri legem, ita tamen, ut sermonis accentus minime negligatur, h. e. et ictus rhythmicus et sermonis accentus in iusta versuum recitatione exprimi debent. Nec vero de versu Latinorum heroico secundum accentum sive metiendo sive

legendo post Bentleium quisquam quod sciam cogitavit, sed alter ille error de comicorum Latinorum versibus ad accentus legem metiendis Bentleio auctore late disseminatus est; in quo tamen illud feliciter cecidit, quod viri plane egregii ac satis prudentes Bentleii doctrinae, quam alioqui veram esse opinabantur, non tantum tribuere voluerunt, ut ea confisi Plauti et Terentii fabulas ad illius exemplum innumeris in locis sollicitare auderent: immo Hermannus quum alibi, tum *Elementis doctrinae metricae* p. 66. percommode et recte monuit, Bentleium inventis suis etiam cum damno Terentii usum esse. Sed ut uno tamen exemplo ostendam, quos errores procreaverit haec Bentleii doctrina, verbo saltem commemorandum arbitror, quod Fridericus Lindemannus, vir alioqui satis cautus et prudens, in dissertatione de vetere linguae Latinae prosodia scripta atque editioni suae trium fabularum Plautinarum (Lipsiae 1823.) praemissa, contemptis ac neglectis omnibus antiquorum scriptorum luculentis testimoniis docuit, acui posse quartam a fine syllabam. Quamobrem haec accentus monstra a nullo Romano unquam prolata, sed ab ipso procusa, p. XV. attulit: *cálamitas, tétigerit, céleriter, cúpiditas, pépererit, látibulum, míseritus, símiliter, fácinoris, vítuperant, méminero, máritamis.* His similia docuit Bernhardy *Adumbratione litteraturae Romanae* p. 2. n. 2. Hoc docere viri eruditissimi animum non induxissent, si ictum rhythmicum et accentum utique distinguendos esse secum reputassent [29]). Sed ad Bentleium revertor. Is quum

29) Lindemannus nimium tribuisse videtur iis, quae Hermannus *Elementis doctrinae metricae* p. 64. disputavit, cui ut concedam a Romanis poetis *rédiero* et alia id genus, quae quattuor syllabis scripta

E 2

in accentus vi et natura definienda tam egregie falsus sit, inde continuo consequitur, quae idem in poetarum scenicorum versibus accentus ope explicare conatus est, ea omnia aut falsa esse aut aliunde explicanda. Restat igitur, ut hoc probemus. Ac primo loco ea examinabo, quae sub finem *Schediasmatis* sui (p. XX. ed. Lips.) scripsit, postquam ictum, quem accentum esse opinatur, ab ultimis vocabulorum syllabis retrahi solere exposuit: *totum autem hoc, quod de ictu in ultimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum trimetri διποδίᾳ capiendum; nam in prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de comoedia tragoediaque Latina.* Quae dicit Bentleius, in secunda *trimetri* dipodia ictum in ultimis vocabulorum syllabis non poni, ideoque hunc postictum quasi accentum cum vulgaris sermonis accentu, qui itidem ab ultimis syllabis retrahatur, semper consentire, magnam partem recte quidem observata sunt, sed idem quum veram eius rei causam non perspiceret, in explicanda ratione erravit. Hac enim ratiocinatione usus est Bentleius: ictus (accentus) in prima et tertia trimetri dipodia ultimas verborum syllabas ferire potest, in media autem non potest propterea, quod scenici Romanorum poetae in prima ac tertia dipodia accentum a vulgari diversum ideoque falsum admittendum censuerunt necessitate coacti, sed in secunda saltem dipodia ad vulgarem accentum se accommodare voluerunt, id quod magna arte assecutus est Terentius. Sed hoc si verum

---

tribus proferri possunt, interdum admissa esse, eidem tamen scenicos Romanorum poetas et *tetigeris* et similia dixisse affirmanti minime credo.

esset, scenici Romanorum poetae sane mirandi essent, quod mediam versus iambici partem diligenter quasi aedificare, initium autem et finem negligere liberrimeque construere animum induxissent. Eo quum accedat, quod etiam prior illa Bentleii de accentu observatio, eum videlicet in versus initio et fine saepius contra vulgarem usum in ultimis syllabis poni, prorsus falsa sit: inde consequitur hoc, quod ictus rhythmicus in secunda dipodia cum accentu fere consentiat, ex accentus doctrina explicari non posse. Ac tantum abest, ut obscura sit huius rei ratio aliunde petenda, ut etiam facillima ad intelligendum videatur. Nam in trimetris quum post primam secundae dipodiae syllabam caesura legitime adhibeatur, quumque in syllabam continuo sequentem cadat ictus rhythmicus, eum, ubi caesura non omittitur, in primam vocis post caesuram sequentis syllabam cadere ex hoc schemate apparet:

⏑ —́ ⏑ — . ⏑ ‖ —́ . ⏑ —́ ⏑ —́ ⏑ — .

Exempli gratia tres adscribam Plauti versus:

Medicus Menarchus ‖ *emit ibidem in Alide.*
si quem reperire ‖ *posset, qui mutet suum.*
eo quia invocatus ‖ *soleo esse in convivio.*

Haec caesura quum plerumque adhibeatur, ictusque secundae dipodiae in primam vocis post caesuram illam sequentis syllabam cadat, eum non solum in ultimis syllabis non poni, sed etiam cum accentu eiusdem vocis persaepe consentire accidit: in omnibus enim vocabulis, quae in prima ab initio syllaba accentum positum habent, quorum ingens est numerus, forte quadam ictus et accentus consentiunt; non tamen id necessitate ulla aut elegantia flagitatur, aut a poeta diligenter ita instituitur. Qua de causa ictus et

accentus, quamvis servetur caesura, tamen in diversas syllabas tunc discedunt, si post illam caesuram vocabulum sequitur, quod accentum in prima syllaba positum ferre non potest. Exempla quaedam apponere placet ex *Plauti Captivis*, prolog. v. 24. I. 1, 3. 17. 21. 23. 27. 38. et *Terentii Eunucho*, prolog. v. 13. 29. 38. 40., in quibus ictum et accentum vocis post caesuram sequentis linearum forma, ut semper, distinxi:

Postquam belligerant || *Aetoli cum Aliis.*
Scio absurde dictum hoc | *derisores dicere.*
Prolatis rebus | *parasiti venatici.*
Potis parasitus, | *frangique aulas in caput.*
Quod mihi ne eveniat, | *nonnullum periculumst.*
Philopolemus huius | *Hegionis filius.*
Quoius numquam voltum || *tranquillavi gratiis.*
Aut unde in patrium | *monumentum pervenerit.*
Id ita esse vos iam | *iudicare poteritis.*
Parasitum edacem, | *gloriosum militem.*
Amare, odisse, | *suspicari? denique.*

Bentleio ceterisque omnibus, qui ictum rhythmicum ab accentu non diversum esse opinantur, quum huius generis exempla aeque offensioni esse deberent atque ea, in quibus ultimas in secunda dipodia syllabas ictus ferit: mira tamen illi inconstantia ex ea difficultate ita se expediunt, ut id et grammaticorum et aliorum scriptorum praeceptum, ex quo accentus non citra tertiam a fine syllabam ponatur, nihil curent, illud autem, secundum quod retrahatur idem a vocabulorum fine, verissimum esse iudicent. Sed caesura haec legitima quum, ut saepe fit, negligitur, tunc ictus rhythmicus, quum in primam vocis syllabam cadere

non possit, modo cadit in mediam, modo in ultimam, ac modo cum accentu consentit, modo in diversam atque ille syllabam cadit. Primum exempla apponam, in quibus omissa legitima caesura ictus tamen cum accentu consentit: ea autem adeo non sunt rara, ut et alibi multa et tria continua [30]) reperiantur in Terentii Andria I. 2, 1—3.:

Non dubiumst, quin uxorem nolit filius;
ita Davom modo timere sensi, ubi nuptias
futuras esse audivit; sed ipse exit foras.

In vocabulis *uxorem, timere, audivit* eandem syllabam ictus ferit, quae simul accentu elevatur. Sed ictus cum accentu interdum non consentit, ut in hoc Terentii versu (Phorm. II. 4, 17.):

Ego amplius deliberandum censeo.

Si vero et caesura negligitur et pes tertius uno vocabulo impletur vel saltem in integrum vocabulum desinit, tunc accentus et ictus non modo non consentiunt, sed ictus etiam semper ultimam syllabam ferire debet. Raro hoc fieri per se apparet, quia ut fieri possit duo simul, ut diximus, requiruntur, scilicet ut omissa caesura pes tertius uno vocabulo constet vel in integrum desinat, quo utroque numerus vitiatur, accentus minime. Exempla tamen non adeo pauca inveniuntur, ut nunquam hoc licuisse cum Bentleio statui non possit. Nonnulla apponam ex Plauti Trinummo III. 3, 66., Captivis I. 1, 34. 36. IV. 1, 3. (in tetrametro iambico), Milite glorioso III. 2, 39. IV. 3, 6.,

30) Non verum igitur esse videtur, quod Hermannus *Elementis doctrinae metricae* p. 142 observasse sibi visus est, Latinos videlicet comicos paullo minus saepe negligere hanc caesuram quam Graecos. Nimirum etiam Hermanno tum fucum fecit Bentleii doctrina, tum haec observatio inde orta est.

Aulularia prolog. 16, IV. 8, 9, Truculento prolog. 5; ex Terentii Andria IV. 5, 35. (IV. 4, 35. Bentl.) IV. 6, 6. (IV. 5, 6. Bentl.) V. 3, 24, Eunucho V. 1, 16, Heautontimorumeno I. 1, 95. IV. 3, 4. (IV. 5, 4. Bentl.), Adelphis III. 4, 24, Hecyra IV. 4, 79., Phormione I. 2, 37.

Apud portitorem eas resignatas sibi.
Quod ego quidem nimis quam cupio ut impetret.
Nullast spes iuventutis: sese omnes amant.
Laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitatem, ferias.
Sed in cella erat paullum nimis loculi lubrici.
Aurum atque vestem omnem muliebrem habeat sibi.
Coepi observare, ecqui maiorem filius.
Effodio aulam auri plenam: inde ex eo loco.
Meditor quidem vobis me ablaturum sine.
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
Quem video? estne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Chreme? — at tamen dicat sine — age dicat: sino.
Scelesta, ovem lupo commisti. dispudet.
Decrevi tantisper me minus iniuriae.
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet.
Persuasit nox, amor, vinum, adulescentia:
Omnibus modis miser sum, nec quid agam scio.
Nos otiosi operam dabamus Phaedriae.

V. 13. *Comisisti* libri et Donatus, *commisti* copi. Bentleius.

V. 15. Rectius in versuum iambicorum pedibus anapaesticis ictus in secunda syllaba poni videtur, ut *aliquot dies*, *operam dabamus* (◡◡́–) anapaestus enim, qui per se alienus est a numero iambico, tribrachi vice ita fungitur, ut ultima eius syllaba paullo diutius intendatur ◡◡◡́; in tribracho autem, qui iambi loco ponitur, ictus mediam syllabam praecipue ferit (◡◡́◡), v. c. *agite*, *legite*.

Exemplorum numerum satis magnum, quem praecipue ex Plauto augere etiam poteram, transcribere placuit, quo melius lectores ipsi diiudicent, quam vera sint illa, quae Bentleius sub finem *Schediasmatis* sui (p. XX. ed. Lips.) confidenter pronunciavit: *quod* (ut ictus in ultimis syllabis ponatur), *ut dixi, in prima ultimaque διποδίᾳ solet fieri, in media nec solet nec unquam licet.*

Iam unum restat, quod accentus ope falso explicasse Bentleium apparebit, quum ipsam rem qualis sit veramque eius causam exposuero. Trimeter iambicus vel legitima illa post primam tertii pedis syllabam caesura, vel saltem aliis quibusdam instructus esse debet, ut singulae eius partes apto vinculo iunctae numerose decurrant: turpiter enim hic versus hiat ac debilis procedit, si omni caesura caret. Id autem ibi accidere necesse est, ubi pes tertius et quartus ex integris vocabulis constant eoque tum a semet ipsis, tum a ceteris versus partibus diaeresi disiunguntur hunc in modum:

⏑ – ⏑ – || ⏑ – || ⏑ – || ⏑ – ⏑ –

Versui ita constructo nonnisi binae in prima et tertia dipodia caesurae podicae relinquuntur, quae tamen nullius momenti sunt ad versus partes artius iungendas: nam et singulae dipodiae, et duo medii pedes nullo inter se vinculo cohaerent. Talis versus est ille Terentii modo transcriptus (15.):

Etsi scio, hosce || *aliquot* || *dies* || *non sentiet* —

in quo versu haec caesurarum omissio vocalium commisura in vocibus *hosce aliquot* admissa quodammodo excusatur. Versus aeque hiantes illi sunt, quos quarto loco, duode-

cimo ac septimo decimo posui, quamvis omnes non optimae notae esse ante viderimus. Hinc explicandus est Gellii locus XVIII. 15.: *in longis versibus, qui hexametri vocantur, item in senariis animadverterunt metrici duos primos pedes item extremos duos habere singulos posse integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis.* Verbis hisce in *Schediasma* (p. XX. ed. Lips.) transcriptis Bentleius, *cur hoc?* quaerit, ac continuo respondet: *quia tum necesse est, ut ictus in ultimas syllabas cadant; quod, ut dixi, in prima ultimaque διποδίᾳ solet fieri, in media nec solet nec unquam licet.* Ictum secundae dipodiae et solere et posse in ultimas syllabas cadere, multis exemplis modo probavimus: sed omnem, quae alicuius momenti sit, caesuram omitti, quod accidit, quum pes tertius et quartus ex integris vocabulis constant, id neque fieri solet, neque licet. Recte igitur metrici a Gellio laudati hoc observarunt, quos de accentu et ictu non cogitasse etiam hexametri commemoratio et comparatio certissime ostendit. Nam in hexametris eo ipso, quod integri essent pedes medii, caveretur, ne ictus in ultimas vocum syllabas unquam cadat, id quod Bentleius caveri cupiebat, ut in his Ennii versibus:

Sparsis hastis longis campus splendet et horret.
Disperge hostis, distrahe, diduc, divide, differ.

Tales versus, qui secundum Bentlei doctrinam pro bonis et perfectis habendi sunt, quod ictus percommode cadant, recte magnam offensionem habere videbantur: nam omnem fere caesuram ad singulas versus partes connectendas aptam

Exemplorum numerum satis magnum, quem praecipue ex Plauto augere etiam poteram, transcribere placuit, quo melius lectores ipsi diiudicent, quam vera sint illa, quae Bentleius sub finem *Schediasmatis* sui (p. XX. ed. Lips.) confidenter pronunciavit: *quod* (ut ictus in ultimis syllabis ponatur), *ut dixi, in prima ultimaque* διποδίᾳ *solet fieri, in media nec solet nec unquam licet.*

Iam unum restat, quod accentus ope falso explicasse Bentleium apparebit, quum ipsam rem qualis sit veramque eius causam exposuero. Trimeter iambicus vel legitima illa post primam tertii pedis syllabam caesura, vel saltem aliis quibusdam instructus esse debet, ut singulae eius partes apto vinculo iunctae numerose decurrant: turpiter enim hic versus hiat ac debilis procedit, si omni caesura caret. Id autem ibi accidere necesse est, ubi pes tertius et quartus ex integris vocabulis constant eoque tum a semet ipsis, tum a ceteris versus partibus diaeresi disiunguntur hunc in modum:

⏑ –́ ⏑ – || ⏑ –́ || ⏑ – || ⏑ –́ ⏑ –.

Versui ita constructo nonnisi binae in prima et tertia dipodia caesurae podicae relinquuntur, quae tamen nullius momenti sunt ad versus partes artius iungendas: nam et singulae dipodiae, et duo medii pedes nullo inter se vinculo cohaerent. Talis versus est ille Terentii modo transcriptus (15.):

Etsi scio, hosce || aliquot || dies || non sentiat —

in quo versu haec caesurarum omissio vocalium commisura in vocibus *hosce aliquot* admissa quodammodo excusatur. Versus aeque hiantes illi sunt, quos quarto loco, duode-

cimo ac septimo decimo posui, quamvis omnes non optimae notae esse ante viderimus. Hinc explicandus est Gellii locus XVIII. 15.: *in longis versibus, qui hexametri vocantur, item in senariis animadverterunt metrici duos primos pedes item extremos duos habere singulos posse integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis.* Verbis hisce in *Schediasma* (p. XX. ed. Lips.) transcriptis Bentleius, *cur hoc?* quaerit, ac continuo respondet: *quia tum necesse est, ut ictus in ultimas syllabas cadant; quod, ut dixi, in prima ultimaque διποδίᾳ solet fieri, in media nec solet nec unquam licet.* Ictum secundae dipodiae et solere et posse in ultimas syllabas cadere, multis exemplis modo probavimus: sed omnem, quae alicuius momenti sit, caesuram omitti, quod accidit, quum pes tertius et quartus ex integris vocabulis constant, id neque fieri solet, neque licet. Recte igitur metrici a Gellio laudati hoc observarunt, quos de accentu et ictu non cogitasse etiam hexametri commemoratio et comparatio certissime ostendit. Nam in hexametris eo ipso, quod integri essent pedes medii, caveretur, ne ictus in ultimas vocum syllabas unquam cadat, id quod Bentleius caveri cupiebat, ut in his Ennii versibus:

Sparsis hastis longis campus splendet et horret.
Disperge hostis, distrahe, diduc, divide, differ.

Tales versus, qui secundum Bentlei doctrinam pro bonis et perfectis habendi sunt, quod ictus percommode cadant, recte magnam offensionem habere videbantur: nam omnem fere caesuram ad singulas versus partes connectendas aptam

omitti in iis necesse est, quo fit, ut totus versus multis diaeresibus hunc in modum distractus

—́ ⏔ — ⏔ || —́ ⏔ || — ⏔ || —́ ⏑ ⏑ — ⏑ [31])

claudis pedibus misere incedat.

Peculiarem accentus moderandi licentiam quemadmodum in Plauti Terentiique versibus inveniri nullam ostendere conatus sum: sic quoque in antiquissimorum poetarum Latinorum versibus Saturniis magnam quandam accentus vim, eamque ab aliis obscure significatam, a Friderico Lindemanno l. l. p. IX. et a G. Bernhardyo *Adumbratione litteraturae Romanae* p. 70. n. 116. confidenter pronunciatam, mihi quidem perspicere et agnoscere nondum contigit. Nec vero ab aliis certa quaedam argumenta allata sunt, quibus haec ratio confirmari possit: quae enim eius rei indicia reperisse sibi videntur nonnulli, ea inde orta sunt, quod accentum a numero non satis accurate distinxerunt. Mihi quidem duo potissimum huic doctrinae obstare videntur. Primum enim ex nonnullis indiciis supra p. 30. allatis accentus vim temporis progressu non deminutam, sed auctam esse intelleximus: tum vero, si ex accentus norma antiquissimorum versuum numerus suspensus fuisset, numeri iambici aut nulla aut perpauca vestigia in antiquis illis versibus reperirentur. Romani enim quum accentum ab ultimis syllabis in priores retrahant, accentus acutus vel in syllabis primis vel quae sunt primis proxi-

31) Hexametrum non ad singulos pedes, sed ad dipodias dimetiendum ac pronunciandum esse, perquam probabile, immo certum videtur: quod ad excusandos ictus in schemate superiore more novo dispositos hic quasi praeteriens moneo.

mae ponitur: arsis autem in numero iambico semper ultimam pedis iambici syllabam ferit: (⏑ —́), unde numerum iambicum voculationi Latinae, quae est trochaica, prorsus esse contrarium apparet. At vero numerus iambicus in versibus Saturniis regnat, trochaicus inferiorem locum occupat, ut ex adiecto schemate intelligitur:

⏑ —́ ⏑ —́ ⏑ —́ ⏑ ‖ —́ ⏑ — ⏑ — ⏑.

Si accentus numeri legem praescripsisset, numeri in antiquis Romanorum versibus unice regnaturi erant trochaici et dactylici. Quod quum secus sit, inde consequi videtur, etiam veterrimos poetas Latinos in versibus suis condendis non ad accentus, sed ad numeri legem non adeo severam carmina sua composuisse. Hoc ipsum versuum Saturniorum reliquiis confirmatur. Nam si vera est, ut mihi videtur, Hermanni versus Saturnii doctrina, proposita ab eo *Elementis doctr. metr.* p. 606—640., accentus acutus ab arsi sive ictu rhythmico saepissime discrepat. Paucis exemplis, in quibus ictus et accentus notae, ubi alter ab altero omnino discrepat, scribentur, rem illustrabo [32]:

Summas opes qui regum ‖ regias refregit.
Dabunt malum Metelli ‖ Naevio poetae.
Magnum numerum triumphat ‖ hostibus devictis.
Fundit, fugat, prosternit ‖ maximas legiones.
Ferunt pulcras creterras, ‖ aureas lepistas.

Haec pauca de re tam incerta dixisse sufficiat. Speramus autem et optamus, ut omnes huius rei tenebras discutiat vir perillustris, B. G. Niebuhrius, qui et de versu Saturnio

---

32) Exempla sumpta sunt ex Hermanni *Elementis doctr. metr.* p. 607 — 610.

et aliis antiquissimis Romanorum numeris, accuratius aliquando se scripturum esse promisit *Historia Romana* t. II p. 288 not. 687, ed. tert. [33]).

APPENDIX.

DE APICE ATQUE INSCRIPTIONIBUS, QUAE APICIBUS CONSIGNATAE REPERIUNTUR.

Exposita accentus Latini doctrina, restat, ut de rebus quibusdam secundariis, quae cum hac quaestione quodammodo iunctae sunt, exponam quam potero brevissime. Eo autem pertinere, ut accurate disputetur de variis accentus acuti et gravis flexique notis, et quomodo uniuscuiusque figura externa internae eiusdem significationi respondeat, quamvis non male quispiam putaverit, eiusmodi tamen disputationem ego tum valde ieiunam, tum prorsus inutilem fore iudico: nam ea res et nullis laborat difficultatibus, et aliunde facillime potest cognosci. Sed alia et paulo gravior est quaestio, utrum in scribendo notae illae vocabulorum syllabis interdum impositae sint, an nunquam, quod quidem ad dicendum aliquanto est difficilius, quam prima

33) Scripta haec erant anno ante viri sagacissimi mortem nuper ingenti litterarum iactura consecutam. Plurimae sane ac laetissimae Niebuhrii spes in medio spatio fractae sunt et ante in ipso cursu obrutae, quam portum conspicere potuerunt.

monumentis longis syllabis appositas, tum vero apicis hanc esse formam ʹ, quam lapidibus sexcenties insculptam videmus. Eo accedit, quod haec de apicis figura sententia quodammodo confirmatur Scauri loco p. 2264.: *apices ibi poni debent, ubi iisdem litteris alia atque alia res designatur, ut vénit et venit, áret et aret, légit et legit; ceteraque his similia. Super I tamen litteram apex non ponitur; melius enim I in*[36] *PILA in longum producetur. Ceterae vocales, quia eodem ordine positae diversa significant, apice distinguuntur, ne legens dubitatione impediatur.* Iam vide, quod Scaurus dicit, super *I* apicem non poni, id ipsum inscriptionibus nostris approbatur, in quibus quum notula ʹ litterae *I* longae non apponatur, vel inde collato Scauri loco apparet, notulam istam esse apicem. Litterae *I* autem non apponitur apex propterea, quod, si ea longa est, maiore figura in scriptura Romana distinguitur. Exempla apponam, quae praebet inscriptio p. 80. 81. allata: BREVI. VIDERAT. MEI. TVIS. BONIS. VITAE. NIL. MOVERI VIXIMVS. OMNIS (acc. plur.) VÓTIS. TVIS. VICTÝRO. Ubi longum illud *I* brevis loco positum est in lapidibus, ibi aut sculptoris aut eius, qui litteras descripsit, vitio id accidit.

Contra hanc disputationem duo opponi possunt, quae quidem specie aliquid ponderis habere videantur, re autem diligentius considerata prorsus evanescunt. Primum obiiciat aliquis: qui pro apice signum ʹ admitti poterat, quum idem sit accentus acuti nota? Poterat vero: nam accentus notas, dum lingua Latina in hominum ore vigebat, nun-

---

36) Praepositionem *in* ex coniectura addidi.

PARCE TVAM CONIVNX FLETV QVASSARE IV-VENTAM
FATAQVE MAERENDO SOLICITARE MEA
NIL PRÓSVNT LACRIMAE NEC POSSVNT FATA MOVERI.
VIXIMVS HIC OMNIS EXITVS VNVS HABET
PARCE ITA NON VNQVAM SIMILEM EXPERIARE DOLÓREM
ET FAVEANT VÓTIS NVMINA CVNCTA TVIS
QVODQVE MIHI ÉRIPVIT MORS IMMATVRA IV-VENTAE
ID TIBI VICTV́RO PROROGET VLTERIVS.

Monumenta magis illustria et transcriptis antiquiora apicibusque consignata infra cum lectoribus communicabo: interim satis esse exemplorum puto, ut de illis notis, quid sint et qua de causa quibusdam syllabis appositae reperiantur, certo iudicari possit, quod adhuc a nullo ita factum video, ut omnis ambiguitas atque dubitatio removeatur. Accentus notas illas esse si cum Lipsio l. c. [34]), Seyferto *grammatica Latina* t. I. p. 161., Liscovio l. l. p. 215. multisque inscriptionum collectoribus statuamus, plurima sane in illis mira, immo nullo modo explicanda videri debent: nam primum permulta vocabula, quae uno accentu acuto proferri certissimum est, duobus apicibus importune

V. 19. Inde ab hoc versu rursus Homonoea loquitur virumque Atimetum cohortatur, ne faciat quod is modo dixerat.

34) Lipsius tamen prope a vero aberat, quum in capitis XIX. fine quasi praeteriens scriberet: *nisi id tamen voluerant* (illi qui apices in lapidibus expresserunt), *apices eos esse, quîs insignirent — ita suspicor — longas vocales.*

instructa sunt, ut STÁTIÓ, PATRÓNÓ, PEDÁNIÓ, CLÉMÉNS, SECVRÁ: deinde in aliis vocibus accentum admodum perverse positum videmus, ut in OCVLÓS, TERRÁS, VICENÓS, CÝRIONE, SECVRÁ, PAPHIÉ, ANNÓS, INIÉCERE, CRÝDELIA, ÉRIPVIT: denique mireris, quod sola acuti accentus ac nunquam flexi nota expressa reperiatur. Quicunque igitur his notis accentum significari existimabit, is cum Justo Lipsio l. c. clamare debet: *haec inepta, stulta, et a bardis.* Sed hanc perturbationem ab imperita sculptoris manu aut hominum ineptorum opera ortam esse quum neque demonstrari possit, nec ullo modo probabile videatur: inde certo consequitur, notis illis non accentum, sed aliud quicquam designari; quod quid sit, certis indiciis investigari potest. Nam quum nonnisi longis vocalibus, exceptis paucissimis exemplis, quae vel editorum vel sculptorum errori haud dubie tribuenda sunt, nota illa apposita reperiatur, vel inde satis probabiliter coniici potest, ad vocalium longitudinem indicandam hoc signum adhibitum fuisse: idem vero luculente veterum testimoniis confirmatur, quae quidem iam accuratius consideremus. Quintilianus I. 7, 2.: *longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent: sed interim necessarium, quum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit, ut* **malus** *utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur;* **palus** *aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat; et quum eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus.* Idem I. 4, 10.: *at quae ut vocales iun-*

guntur, aut unam longam faciunt, ut veteres scripserunt, qui geminatione earum velut apice utebantur [35]), *aut duas.* Conf. Marius Victorinus p. 2469: *in defrudo apicem secundae syllabae imponere debetis.* Ex hisce locis duo luculente apparent, primum hoc, apicem nihil nisi signum esse, ad syllabarum longitudinem indicandam adhiberi solitum et ab accentu prorsus alienum; alterum hoc, invaluisse et ante et circa Quintiliani aetatem pravam consuetudinem atque abusum, ut etiam in illis longis syllabis apicem ponerent, quarum longitudo sponte pateret. Hunc vero abusum a Quintiliano reprehensum statim agnoscimus tum in transcriptis, tum in multis aliis veterum inscriptionibus. Syllabas enim, quarum mensuram vel pueri tenere debebant, quaeque recte ab ipsa plebecula pronunciabantur, saepius apice consignatas invenimus. Quo abusu contempto prudenter Quintilianus tunc apicem probabat, si is ad voces vel vocum casus discernendos adhiberetur; et vero ad casus distinguendos in praestantioribus inscriptionibus apex persaepe adhibetur: quod quo magis appareat, eius usus exempla, quae inveniuntur in laudatione infra transcribenda huc apponam: TVÁ (ablat.) *cu*STODIÁ (abl.) SPIRITV́S MEÌ (genit.) PATIENTIÁ. REPVBLICÁ. MEÁ. CONCORDIÁ NOSTRÁ. VITÁ. *diffi*DENTIÁ PARTV́S TVI. FILIÁ SVBSTITV́TÁ. SENSV́S MEOS. FRVCTV́S (nom. plur.). FÁMÁ TVÁ FIRMÁ. STATV́S. CASV́S MEOS. Quum igitur Quintiliani testimonia cum hisce inscriptionibus mire consentiant, iisque demum optime illustrentur: dubitari nequit, tum apices esse notas illas in quibusdam

35) Veteres igitur PAALVS scribebant, novi PÁLVS.

illustria illa monumenta apicibus consignata, quae cum lectoribus me communicaturum esse in antecedentibus promisi. Primum eorum continet laudationem mulieris, factam a superstite eius marito, ac tabulis duabus marmoreis luculentis litteris insculptam. Quum desit huius laudationis initium, tabula tertia, quae illud contineret, interisse videtur. Asservantur tabulae superstites in Villa Albana: utriusque longitudo quinque pedes et dimidium, latitudo unum pedem efficit. In mediis tabulis et in extremo margine litterae nonnullae evanuerunt: medias restituit Raph. Fabrettus, extremas ego tunc supplevi, quum supplementum suppeteret, quod verum esse aut valde probabile vel sine ulla disputatione agnosci posset: a verbosis enim annotationibus pro operis mei consilio abstinendum putavi. Et mea et Fabretti supplementa litteris minoribus expressa sunt. Edidit hanc orationem primus Raph. Fabrettus in sua inscriptionum collectione p. 168. sqq., notisque eam illustravit p. 226. sqq. Post Fabrettum eandem laudationem edidit Gaetano Marini in libro suo: *Inscrizioni antiche delle ville e de' palazzi Albani, Romae* 1785. Is ipso monumento accuratius inspecto nonnullos Fabretti errores correxit, tabulasque in charta sua p. 136 — 139. ita repraesentavit, ut earum imago quaedam lectoribus praeberetur. Deficientes marginis litteras punctis indicavit; nec tamen ubique tot puncta posuit, quot litterae deesse videntur; neque fieri id poterat, quum tabularum margo nimium attritus sit et confractus. Marini puncta in notis indicavi, ubi certa supplementa suppetebant; sin minus, eadem puncta in orationis margine retinui. Illustri huic monumento, tum propter argumentum tum propter antiquita-

tem gravissimo, temporis nota satis certa impressa est. Namque laudat maritus quidam, cui fidissima coniux morte erepta erat, summum illius erga se amorem ac fidem, probatam tum potissimum, quum ipse per proscriptiones, Octaviano Caesare, Antonio Lepidoque auctoribus exortas, summis periculis obiiceretur. Sed pacato orbe terrarum viro illi eiusque coniugi quieta tempora contigerunt, neque summa vitae felicis consummatio defuisset, si optatos liberos, quos dederat Fortuna, procedere eadem passa esset: id autem secus accidit. Quo quum accederet, ut uxor propter aetatem fecunditatis spem abiiceret, virumque orbitate premi doleret, ad divortium faciendum, aliamque mulierem in spem prolis subrogandam se promptam et cupidam ita ostendit, ut novam nuptam veluti sororem ac sociam, atque futuros ex ea liberos aeque ac suos, nulla patrimonii aut domicilii separatione facta, habituram se esse polliceretur. Quod consilium dum molitur, marito partim refragante, partim mulieris generosum animum admirante, ipsa re nondum peracta moritur. Augusti igitur aetate facta et insculpta est haec laudatio, et quidem non multum post illud tempus, quo Octavianus Caesar devicto M. Antonio et orbe terrarum quasi restituto cognomine Augusti appellatus est (a. u. 723.): illud enim nomen v. 12. commemoratur.

. . . .

ME. PATRIAÉ. REDDITVM. Á. SE. *na*M. NISI. PARASSES. QVOD. SERVAR*am*

INÁNITER. OPES. SVAS. POLLIC*eret*VR. ITA. NON. MINVS. PIETATI. TV*ae*.

ME. DEBEÓ

QVID. EGO. NVNC. INTERIORA. N*os*TRA. ET. RECONDITA. CONSILIA. S*emper*

ÉRVAM. VT. REPENTINIS N*unci*iS. AD. PRAESENTIA. ET. INMINEN*tia ac*-

TVS. TVIS. CONSILIIS. CONS*er*VATVS. SIM. VT. NEQVE. AVDACI*ssima*

TEMERE. PASSÁ. SIS. ET. M*odera*TIORA. COGITANTI. FIDA. RECE*peris*

V. 1. SERVAR.. Marinus. Ne mireris, vocem PATRIAÉ apice consignatam esse: nam in eiusmodi vocabulis, quorum antepenultima accentu acuto elevatur, Romani, ut supra p. 33. 34. exposui, ad corripiendam ultimam inclinabant, ac propterea apice eo magis indigebant, quo longam eam syllabam esse inter legendum admonerentur. Qua de causa talibus syllabis paullo saepius apicem appositum videmus, modo, ut casus in longam vocalem exeuntes distinguerentur a brevi nominativo, modo, ut universe ultimae longae syllabae iustum tempus tribueretur. Nostra inscriptio haec exempla praebet: PATRIAÉ. DEBEÓ. *cu*STODIÁ. SPIRITÝS. PATIENTIÁ. RÉPVBLICÁ. A*li*ÁS. CONCORDIÁ. LIBERÓS. ADEÓ. CV*pidi*TÁS. NECESSITÁS. *dif*DENTIÁ. FILIÁ. V. 2. TV.. Marinus. V. 4. S..... Marinus. Ita incisa est haec inscriptio, ut sententia absoluta versus finiatur, ac nova incipiente paullulum ante ceteros ad dexteram prostet. V. 5. INMINEN.... Marinus. De scriptura *inminentia*, *inmortalitas* ac similibus monuit Norisius *Cenotaphiis Pisanis* diss. IV. c. 6. Cf. Marinus et Fabrettus ad hanc orationem. Voce *imminentia* periculi notio continetur, itaque [...]*sentia* et *imminentia* idem fere significare videntur, quod praesen[...]stantia pericula, quae vitari vix possunt. V. 6. AVDACI.....

[...]. V. 7. RECE..... Marinus. Apex in voce PASSÁ perpe[...]situs aut sculptoris aut Marini errori tribuendus videtur: Fa-

SOCIOSQVE. CONSILIORVm. meoRVM. AD. ME.
SERVANDVM. Datos sororem
TVAM. ET. VIRVM. EIVS. C. CLVviuM. CON-
IVNCTO. OMNIVM. PERiculo
SI. ATTINGERE. CONER. SATis. isTÍ. MIHI. TI-
BÍQVE. SALVTARITER. Monuerunt.
ACERBISSIMVM. TAMEN. INVIto. MIHI. ACCIDIS-
SE. TVÁ. VICE. FATEBOr ..
CIVE. PATRIAE. BENIFICIO. ET. iudICIO.. AP-
SENTIS. CAESARIS. AVGVSTI ..
DE. RESTITVTIONE. MEA. M. LepiDVS. CON-
LEGA. PRAESENS. INTERP ...
PEDÉS. PROSTRATA. HVMI. Non. mODO. NON.
ADLEVATA. SED. TRAns

---

brettus saltem hunc apicem haud apposuit. Vocabulum moderatiora et a participio *cogitanti* et a verbo finito *receperis* simul suspensum est; participii casus tertius ab adiectivo *fida* pendet, quod ipsum nominativus est ad mulierem laudatam referendus. V. 8. D .... Marinus. V. 9. PER..... Marinus. V. 10. M.. Marinus. Pro *is*TÍ exspectares *is*TI: litterae enim *I* ex vulgari usu et secundum Scauri praeceptum p. 84. allatum apex non apponitur. In vocula TÍBIQVE longum *I* primo loco positum aut sculptoris vitio admissum videtur, aut eo consilio adhibitum est, ut ei vocabulo maior vis in pronunciando tribueretur littera *I* contra linguae legem producta. V. 11. FATEBO ... Marinus. In sequentibus supplementa proponere non audeo: tota sententia haec esse videtur: *acerbissimum tamen invito mihi accidisse tua vice fatebor*, quum, *cive patriae* (h. e. cive Romano) *benificio et iudicio absentis Caesaris Augusti* referente *de restitutione mea*, *M. Lepidus collega* (Caesaris) *praesens interpellaret*, tuque, *ad pedes* (Lepidi) *prostrata humi*, *non modo non adlevata*, *sed trans modum raptata* (rapta), *livoribus corporis repleta*, *firmissimo* animo admoneres *edicti Caesaris*. Iam incipit nova sententia satis expedita. Fabrettus priorem sententiam non intellexit, ac Lepidum mariti huius proscripti collegam fuisse falso putavit. De scriptura *benificio*, *apsentis*, *conlega* conf. Norisius, Fabrettus, Marinus. V. 14. TRÁ... Marinus.

MODVM. RAPSÁTA. LIVORI*bus.* *c*ORPORIS. RE-
PLÉTA. FIRMISSIMO ...
RÉS. ÉDICTI. CAESARIS. CVM. *gra*TVLATIONE.
RESTITVTIONIS. ME*aq*. *eti-*
AM. CONTVMELIOSIS. ET. CR*udel*IBVS. EXCE-
PTIS. VOLNERIBVS. PA*tuit*
VT. AVCTOR. MEÓRVM. PERIC*ul*ORVM. NÓTÉ-
SCERET. QVOI. NOC*uit*
QVID. HAC. VIRTVTE. EFFICACIV*s*. PRAEBERE
CAESARI CLEMENTIA...
STODIÁ. SPIRITVS. MEI. NOTARE. INPORTV-
NAM. CRVDELITATEM....
PATIENTIÁ ...
SED. QVID. PLVRA. PARCAMVS. ÓRATIONI. QVAE.
DEBET. ET. POTEST. F.
MA. OPERA. TRACTANDO. P*ar*VM. DIGNE. PER-
GAMVS. QVOM. PR*imum*
MERITORVM. TVORVM. OC*ulis*. OMNIVM. PRAE-
FERAM. TITVLVM ...

V. 16. ME... Marinus. V. 17. PA... Marinus. V. 18. NOC.. Marinus. In voce NÓTÉSCERET secundus apex appositus est syllabae sola positione productae, quod quidem rarius fieri solet. AVTOR scripsit Fabrettus, sed veram vocabuli formam AVCTOR ex lapide dedit Marinus. Versus 19—21. hanc sententiam continere videntur: *quid hac virtute* (mortuae coniugis) *efficacius? praebere Caesari clementiam, custodia spiritus mei* (h. e. anxia vitae meae cura) *notare importunam crudelitatem* ac tolerare *patientia*. V. 20. STÓDIA Marinus, STODIÁ Fabrettus: aut Marinus erravit, aut sculptor apicem non accurate posuit. Versuum 22—24. sententia haec fere videtur: *sed quid pluro? parcamus orationi, quae debet et potest flere*: ultimo *opera* (h. e. officia funebria) *tractando parum digne pergamus quum primum meritorum tuorum oculis omnium praeferam titulum. Primus meritorum titulus* est meritum praecipuum

PÁCÁTÓ. ORBE. TERRÁRVM. RESitutA. REPVBLI-
CÁ. QVIETA. DEINDE. Nobis
TEMPORA. CONTIGERVNT. FVeruNT. OPTATI.
LIBERI. QVOS. ALIQVA. de-
DERAT. SI. FORTVNA. PROCÉDEre. eSSET. PAS-
SA. SOLLEMNIS. INSERVIE ..
STVM. DÉFVIT. PROCEDENS. AliÁS. SPEM. FI-
NIEBAT. QVID. AGITAVeris at-
QVE INGREDI CONATA SIS ForSIT. AN. INQVI-
BVSDAM. FÉMINIS. admirabi-
LIA. IN. TE. QVIDEM. MINIME. AdmiRANDA.
CONLATA. VIRTVTIBVS. ceteris
DIFIDÉNS. FÉCVNDITATI. TVAE. et. doLÉNS. OR-
BITÁTE. MEÁ. NE. TENENdo
TE. SPEM. HABENDI. LIBEROS. depÓNEREM.
ATQVE. EIVS. CAVSA. ESSes
ÉLOCVTA. ES. VACVAMQVE. doMVM. ALTE-
RIVS. FECVNDITATI. *tribuere agitavisti*
MENTE. NISI, VT. NOTA. CONCORDIÁ. NOSTRÁ.
TV. IPSA. MIHI. DIceres con-

---

et maximum. V. 24. Lapis OC.... exhibet, unde Fabrettus SOCIVS fecit, quod falsum esse vel lapis ipse ostendit; nihil enim ante litteram *O* deest. *Omnium oculis praeferre* est *omnibus ob oculos ponere.* Post *titulum* nihil deesse videtur: spatium enim, quod in lapide est, evanuisse litteras minime probat, quum versu sequenti nova incipiat sententia. V. 25. N.. Marinus. V. 26. *Aliqua* referri debet ad vocem *fortuna*: *aliqua fortuna* est fortuna eo nomine vix digna. V. 29. F.. SIT. AN. lapis, FORSITAN Fabrettus. FÉMINIS.. Marinus. In hoc versu praepositio *in* iuncta est cum *quibusdam*, in sequenti tamen IN. TE et v. 36. IN. EODEM. scriptum est. V. 30. VIRTVTIBVS... Marinus. V. 31. TENEN.. Idem. V. 32. ESS.. Idem. V. 33. VOCVAM lapis, quod vitium lapicidae ac non laudanti imputandum est. T..... Marinus. V. 34. MIHI. DI.. Idem. *Dicionem* particulam esse integri

DICIONEM. QVAERERES. *Parar*ÉSQVE. AC. FV- TVRÓS. LIBERÓS *Tuos pro*-

QVE. TVIS. HABITVRAM. ADF*irm*ARÉS. NEQVE. PATRIMONI. NOS*tri quod*

FVERAT. COMMVNE. SEPAR*ati*ONEM. FACTV- RAM. SED. IN. EODEM. *illud*

ET SI VELLEM TVO MINISTERIO. *fut*VRVM. NIHIL. SEIVNCTVM. NI*si*

HABITVRAM. SORORIS. SOC*iaeve*. OFFICIA. PIE- TATEMQVE. MIHI. D*ixisti*

FATEAR. NECESSEST. ADEO. ME. EXAC*ui*SSE. VT. EXCESSERIM. MENTE. ADEO. *horruisse cona*-

TVS. TVÓS. VT. VIX. REDDERER. *mi*HI. AGI- TARI. DIVERTIA. INTER. NOS. *quum*

FÁTÓ. DICTA. LÉX. ESSET. POSS*em*. *a*LIQVID. CONCIPERE. MENTE. QVA*e*

---

vocabuli *condicionem*, dubitari nequit: itaque et hic lapis veram huius vocis scripturam egregie confirmat. Conf. C. L. Schneideri grammatica Lat. tom. I. p. 249. 250. V. 35. LIBERÓS. T... Marinus. V. 36. NOS.... Idem. V. 37. EODEM .... Idem. V. 38. NI.. Idem. V. 39. D... Idem. V. 40. ADEO.. Idem. Supplementum meum si verum est, hic versus in fine prae ceteris in marmore paullulum prostabat, quod quum alibi, tum hoc loco utique statuendum videtur: nam ut falsum sit supplementum a me propositum, id tamen pro certo affirmare licet, post ADEO.. requiri novum verbum ac praeterea tot litteras, quot cum sequenti syllaba TVS vocabulum substantivum quartae declinationis efficiant. V. 41. TVOS Marinus, nescio utrum sculptoris an suo ipsius errore: laudator TVÓS haud dubie insculpi volebat, ut infra v. 55. et 64. MEÓS; idem Marinus NOS.. De scriptura *divertia* cf. Fabrettus. V. 42. *Aliquid* pro *aliquo* s. *ullo modo* dictum est. QVA.. Marinus. V. 43. PERMAN.. Idem: *uxor esse cum me permansit* h. e. *uxor esse mea perseveravit.*

ESSE. MIHI. VXOR. CVM. PAEN*e*. *ex*VLE. ME.
VITÁ. FIDISSVMA. PERMAN*sit*
QVAE. TANTA. MIHI. FVERIT. CV*pid*ITÁS. AVT.
NECESSITÁS. HABENDI LI*beros ut*
FIDEM. EXVEREM. MVTARE*m*. *c*ERTA. DVBIIS.
SED. QVID. PLVRA .....
APVT. ME. NEQVE. ENIM. CE.... TIBI. SINE.
DEDECORE. MEO. ET. CO ..
TATE. POTERAM
TIBI. VERÓ. QVID. MEMORABI*lius*. QVAM INSER-
VIENDO MIHI *Consulere*
VT. QVOM. EX. TE. LIBEROS. H*abe*RE. NON.
POSSEM. PER. TE. TAMEN *difi-*
DENTIÁ. PARTÝS. TVI. ALTERI*us*. *c*ONIVGIO.
PARARÉS. FECVNDITAT*em*
VTINAM. PATIENTE. VTRIVSQ*ue*. *ae*TATE. PRO-
CEDERE. CONIVGIVM. *ac de*
LÁTÓ. ME. MAIORE. QVOD. *iusti*VS. ERAT. SV-
PREMA. MIHI PRAESTA*nte super*

V. 44. LI.. Marinus. V. 45. In extremo versu plus uno vocabulo deesse ideoque vix probabiliter suppleri is posse videtur. V. 46. Lacunam CE.... Fabrettus explevit legendo CERTE; incisum fuisse videtur CEDERE. Pro CO.. in extremo versu CALAMI scribendum coniicio. V. 48. MIHI. C .... Marinus. V. 49. TAMEN.. Idem. *Diffidentia partus tui* est, *quum diffideres te parituram esse.* Ceterum in supplemento simplicem litteram *f* admisi, quum eadem scriptura v. 30. appareat. V. 51. CONIVGIVM... Marinus. V. 52. PRAESTA... Idem. Sententia haec est: *utinam, patiente utriusque aetate procedere coniugium*, ac de*lato me maiore, quod iustius erat, suprema mihi praestan*te *te superstite, excederem orbitate* (orbus), *filia mihi substituta.* In quibusdam, ac praecipue in nudo illo ablativo *orbitate*, severus grammaticus offendat; sed nemo a laudatore nostro Tullianum dicendi genus postulet. De scriptura *supstituta* conf. Norisius et Fabrettus.

STITE. TE. EXCEDEREM. ORBITA*te*. *f*ILIÁ. MIIII.
SVPSTITV́TÁ
PRAECVCVRRISTI. FÁTÓ. DELEGASTI. *mi*HI. LV-
CTVM. DESIDERIO. TVI. NEC. LIBE ..
RVM. RELIQVISTI. FLECTAM. EG*o*. *q*VOQVE.
SENSV́S. MEÓS. AD. IVDICIA TV*a*
OMNIA. TVA. COGITATA. PRAESC*ript*A. CEDANT.
LAVDIBVS. TVIS. VT. SINT. M*ihi quod*
DESIDEREM. QVOD. INMORT*alit*ATE. AD. ME-
MORIAM. CÓNSECRAT*ur*
FRVCTV́S. VITAE. TVAE. NON. DÉRVN*t*. *mi*HI.
OCCVRRENTE. FÁMÁ. TVÁ. FIRMÁ...
DOCTVS. ACTIS. TVIS. RESISTAM. F*ort*VNAE.
QVAE. MIHI. NON. OMNIA. ÉRIPV*it*. *omni*-
BVS. CRESCERE. TVI. MEMORIAM. *pas*SA. EST.
SED. QVOD. TRÁNQVILLI. STATV́S. E*go*
ÁMISI. QVAM. SPECVLATRICEM. E*t*. *pr*OPVGNÁ-
TRICEM. MEORVM. PERICV*lorum*. *orbi*-
TATE. FRANGOR. NEC. PERMANE*re*. *i*N. PRO-
MISSO. POSSVM

NA-

V. 57. CÓNSECRAT.... Marinus. Ceterum in hac voce apicem syllabae CON impositum esse non mirabitur, qui meminerit, eam syllabam ante *F* et *S* a Romanis valde intentam fuisse. Cf. Cic. Orator c. 48. V. 58. De scriptura *derunt* cf. Norisius *Cenotaph. Pisan.* diss. IV. c. 2. et Marinus. In versus fine *E* deesse videtur, iungendum illud cum sequenti vocabulo DOCTVS. V. 59. ERIPV.. Marinus. V. 60. STATV́S E.. Idem. V. 61. PERICV.. Idem. Verborum sensus est: *fructus vitae tuae non deerunt mihi, occurrente* (memoriam subeunte) *fama tua firma: edoctus actis tuis resistam fortunae, quae mihi non omnia eripuit, omnibus crescere tui memoriam passa est. Sed quod* (quantum) *tranquilli status ego amisi? quam speculatricem et propugnatricem meorum periculorum*?

NATVRALIS. DOLOR. EXTORQVET. CONST*anti*IAE.
VIRES. MAERORE. MERSOR. ET. QVI
EVE
IN. NECVTRO. MIHI. CONSTO. REPETE*ns*. *p*RI
STINOS. CASVS. MEOS. FVTVROSQVE
EVE*ntus*.
CIDO. MIHI. TANTIS. TALIBVSQVE. PR*aesi*DIIS.
ORBATVS. INTVENS. FAMAM. TVAM
N*on me*to
TIENDO. HAEC. QVAM. ADDESIDE*rium* LVCTVI
QVE. RESERVATVS. VIDEOR.
VLTIMVM. HVIVS. ORATIONIS. ERIT. OM*nia*. ME
RVISSE. TE. NEQVE. OMNIA. CONTI
GISSE. MIHI
TIBI. LEGEM. HABVI. MANDATA. TV*a*. QVOD
EXTRA. MIHI. LIBERVM. FVERIT. PR*o*
secutus sum
TE. DI. MANES. TVI. VT. QVIETAM. PAT*ian*TVR
ATQVE. ITA. TVEANTVR. OPTO.

V. 64. EVE .. Marinus. Praeterea in extremo hoc versu DI. addendum et in sequentis initio FIDO legendum videtur: CIDO enim a Fabretto et Marino perperam in lapide lectum esse suspicor. V. 65. TVAM. N... Marinus. V. 67. M.. Idem. V. 68. PR .. Marinus. V. 69. OPTO .. Idem. Nihil deesse videtur. Haec ubi scripsimus, affertur volumen alterum *Inscriptionum Latinarum*, quas collegit Jo. Casp. Orellius. Is hanc laudationem p. 349 — 351, cum lectoribus communicavit, atque Philippi a Turre observationes ad eam scriptas in Calogerà *Raccolta* t. 28. p. 131. sqq. repetendas curavit p. 352 — 355. Italus ille errorem Fabretti a nobis ad v. 11. castigatum, itidem perspexit atque laudatorem nostrum Q. Lucretium Vespillonem esse non inepte coniecit.

Altera magni ambitus inscriptio apicibusque consignata insculpta est lapidi, quem Winkelmanni aetate Rondanini, oppidi quod vocatur *Portici* incola, asservabat, unde Winkelmannus in Epistola ad Biancionium missa particulam primus evulgavit. Conf. Winkelmanni opp. t. II. p. 244. ed. Fernow. Totam edidit Fea in editione sua Italica historiae artium Winkelmannianae t. III. p. 292., cuius libri inspiciendi copia mihi defuit; inde transcripsit Fernow in suis ad Winkelmanni opp. annotationibus t. II. p. 338. Continet magna haec inscriptio matris Murdiae laudationem, ab eiusdem filia post matris obitum factam lapidique luculentis litteris insculptam. Certa temporis nota huic monumento non est impressa, sed tamen non diu post Augusti aetatem positum esse videtur: ita enim ut statuamus tum sermo purus et emendatus tum orthographiae ratio monet. Winkelmannianae epistolae editor apicem hac nota ’ designavit [38]), quae si in ipso lapide reperitur, apices serius appictos esse suspiceris: ea enim tum in hac laudatione saepius admodum perverse posita videtur, tum in ceteris inscriptionibus rarissime reperitur. Equidem in una tantum inscriptione, quae quidem antiqua sit, similem notam me invenire memini (apud Marinum *Atti* cet. tom. II. p. 710.); ibique itidem apex bis admodum perverse positus est. Inscriptio mutila haec est: GERMA’NICO || CAESA’RI || F. CAESA’RIS || AVG. F. || DECVRIONVM. Nihilominus tantum abest, ut Murdianae laudationis apicibus bellum indicere animum induxerim, ut eorum patrocinium sedulo suscipere minime dubitem. Nam primum

38) Winkelmannus in laudationis particula a se edita vulgarem apicis notam dedit.

in pluribus certe vocabulis recte adhibitus est apex ad syllabam longam indicandam, ut in hisce: 1. QVOꞁ. 3. HEREDES'. 6. IV'S. 7. ADHIBITA' FACTA' CERTAS'. 10. ALIQVA'. 11. CONTVMELIA'. 13. iV'SSV. 15. HO'C A'. 16. OBSEQVIO'. 19. CONSENSV'. 21. VIROS' LIBEROS' VERITA'TE. 22. FE'MINA'RVM. 24. PROPRIA' CVSTODIA' VARIETATES'. 25. DESIDERANT'. 26. BONA' FAMA'. 30. EO'. 31. MODESTIA'. 32. PVDICITIA' OBSEQVIO' LANIFICIO' DILIGENTIA' FIDE'. 34. V'LLI. Iam quae restant exempla apicis in brevibus syllabis perperam, ut videtur, positi, ea diligentius considerata minime offendunt: ita enim comparata sunt fere omnia, ut post illa nostro more commate vel alio interpunctionis signo distinguendum sit: apex igitur in his exemplis non indicat longam syllabam, sed post brevem syllabam unius morae intervallum esse monet, h. e. brevi syllabae ac pausae post eam observandae tantum temporis tribui iubet, quantum longa syllaba requirit; ideoque in vocabulis in litteram consonam exeuntibus apex non vocali, sed consonanti appositus est. Considera exempla: 11. PRAEFERRET'. 12. STATVIT'. 13. CEPISSET'. 17. FIERET'. 18. HABERETVR' RELINQVERETVR'. 19. LAVDARETVR'. 26. FECISSE'. 27. ARDVOM'. 28. IACTETVR'. 29. COLENDA'. 31. MERVIT' PROBITATE'. 33. FVIT'. 34. VIRTVTIS' LABORIS'. Quibus exemplis remotis duo tantum restant, in quibus offendamus, primum v. 25. SATISQV'E; sed ibi lapicida SATI'SQVE aut incidit aut incidere debebat; alterum v. 34. CESSIT'; sed post hanc vocem distinctio quaedam poni potest, non quidem logica, sed oratoria. Haec copiosius exposui, ne forte homines

inconsiderati meam de apice disputationem, qua longis tantum syllabis eum apponi dixi, ita refellere posse sibi videantur, si exempla nonnulla, in quibus apex brevi syllabae appositus reperiatur, operose attulerint. Ea exempla ad unum omnia aut lapicidae negligentiae, aut describentium errori, aut temperi monumenta corrumpenti tribuenda, aut singulari ratione explicanda sunt.

MVRDIAE. L. F. MATRIS.

SED. PROPRIIS. VIRIBVS. ADLEVENT. CAETERA. QVO'.
FIRMIORA. PROBABILIORAQVE. SINT.
OMNES. FILIOS. AEQVE. FECIT. HEREDES' PARTITIONE.
FILIAE. DATA. AMOR. MATERNVS. CARITATE. LIBERVM.
AEQVALITATE. PARTIVM. CONSTAT. VIRO. CERTAM. PECVNIAM.
LEGAVIT. VT. IV'S. DOTIS. HONORE. IVDICI. AVGERETVR.
MIHI. REVOCATA. MEMORIA. PATRIS. EAQVE. IN. CONSILIVM.
ET. FIDE. SVA. ADHIBITA'. AESTVMATIONE. FACTA'. CERTA'S.
RES. TESTAMENTO. PRAELEGAVIT. NEQVE. EA. MENTE.

V. 1. Cur tam abrupte incipit laudatio? Nimirum non est hoc orationis initium, quoniam Murdiae defunctae filia non totam laudationem, sed illam tantum particulam, quae ad se praecipue pertineret, lapidi incidendam curavit.

QVO. ME. FRATRIBVS. MEIS. QVOM. eORVM. ALIQVA'.
CONTVMELIA'. PRAEFERRET'. SED. MEMOR. LIBERALITATIS.
PATRIS. MEI. REDDENDA. MIHI. STATVIT'. QVAE. IVDICIO.
VIRI. SVI. EX. PATRIMONIO. MEO. CEPISSET'. VT. EA. iV'SSV.
SVO. CVSTODITA. PROPRIETATI. MEAE. RESTITVERENTVR.
CONSTITIT. ERGO. IN. HO'C. SIBI. IPSA. VT. A'. PARENTIBVS.
DIGNIS. VIRIS. DATA. MATRIMONIA. OBSEQVIO'. PROBITATE.
RETINERET. NVPTA. MERITEIS. GRATIOR. FIERET'. FIDE.
CARIOR. HABERETVR'. IVDICIO. ORNATIOR. RELINQVERETVR'.
POST. DECESSVM. CONSENSV'. CIVIVM. LAVDARETVR'. QVOM.
DISCRIPTIO. PARTIVM. HABEAT. GRATVM. FIDVMQVE. ANIMVM.
IN. VIROS'. AEQVALITATEM. IN. LIBEROS'. IVSTITIAM. IN. VERITA'TE.
QVIBVS. DE. CAVSEIS. Q. QVOM. OMNIVM. BONARVM. FE'MINA'RVM.

V. 10. Lapis FORVM lapicidae errore. V. 13. Murdia igitur laudantis filiae noverca erat, quae huius patri post prioris coniugis mortem nupserat. Ceterum lapis V'SSV exhibet. V. 20. *Partium* mire dictum pro *singulorum virtutum.*

SIMPLEX. SIMILISQVE. ESSE. LAVDATIO. SO-
LEAT. QVOD.
NATVRALIA. BONA. PROPRIA'. CVSTODIA'. SER-
VATA. VARIETATES'.
VERBORVM. NON. DESIDERANT'. SATISQV'E. SIT.
EADEM.
OMNES. BONA'. FAMA'. DIGNA. FECISSE'. ET.
QVIA. ADQVIRERE.
NOVAS. LAVDES. MVLIERI. SIT. ARDVOM'. QVOM.
MINORIBVS.
VARIETATIBVS. VITA. IACTETVR'. NECESSARIO.
COMMVNIA.
ESSE. COLENDA'. NE. QVOD. AMISSVM. EX. IV-
STIS. PRAECEPTEIS.
CETERA. TVRPET. EO'. MAIOREM. LAVDEM.
OMNIVM. CARISSIMA.
MIHI. MA'TER. MERVIT'. QVOD. MODESTIA'. PRO-
BITATE'.
PVDICITIA'. OBSEQVIO'. LANIFICIO'. DILIGEN-
TIA'. FIDE'.
PA'R. SIMILISQVE. CETEREIS. PROBEIS. FEMI-
NIS. FVIT'.
NEQVE. V'LLI. CESSIT'. VIRTVTIS'. LABORIS'.
SAPIENTIAE. *laude*.
. . . . PRAECIPVAM. AVT. CERTE. . . .

V. 28. 29. *Necessario communia esse colenda* negligenter dictum est pro *necessario communia* (a muliere) *esse colenda sequitur*.

LIBER SECUNDUS.

PROSODIAE LATINAE

DOCTRINA.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

DE SYLLABARUM BREVIUM, LONGARUMQUE NATURA.

Ut vocalis litterae sonus sive hominis rite loquentis voce proferri, sive eius, qui audit loquentem, auribus excipi possit, certam quandam temporis particulam requiri et sponte apparet et ultro ab omnibus est concessum. Quae quidem ratio, quamvis hominum sonis in loquendo enunciari solitis unice vindicari non possit, sed etiam in ceteris animalibus accidere videamus, ut eorum voces ad divisas temporum particulas auribus percipiantur; in ea tamen re magnum discrimen inter hominum linguam ac bestiarum voces intercedere facile intelligitur. Namque bestiarum soni avium cantu excepto fere ita emittuntur, ut certa ac legitima temporis mensura propter nimiam eorum sive confusionem sive varietatem comprehendi nequeant: sed hominum soni ad linguam qui pertinent aut ita proferuntur, ut plurimi eadem temporis mensura definiantur, aut ita pronunciantur, ut prima illa mensura sive duplicata sive alia ratione aucta compleantur. Itaque singuli hominum soni loquendo prolati, quas vocamus syllabas, aut *breves* sunt aut *longi*. Quod si linguae cuiusdam syllabae

breves longaeque ita comparatae sunt, ut longae duplicem brevium mensuram accurate contineant: discrimen hoc quasi sponte et humanae naturae perquam convenienter ortum esse apparet; rationis enim simplicis ac duplae discrimen facillime et voce exprimitur et auribus percipitur: ceterae autem rationes nimis sunt implicatae, quam ut a loquente sine magna difficultate observari aut ab audiente accurate sensu percipi queant. Sed in omnibus fere linguis quamquam ita discreta est syllabarum quantitas, ut aliis brevius, aliis longius temporis spatium inter pronunciandum concedatur: tamen neque in omnibus, neque in plurimis haec syllabarum quantitas ratione simplici duplaque accurate comprehendi potest ac definiri. Tanta enim haec est linguae virtus, ut nonnisi illis populis, quorum ingenium ad musicam quandam aequalitatem et varietatem vel imprimis inclinat, tanquam summum ornamentum concessa ea videatur. Concessa est vero et Latinae linguae et Graecae insignis haec praestantia, ut utriusque generis syllabae, breves longaeque, ita distinctae sint ac discretae, ut alterius syllabae mensura ab altera accurate definiatur, h. c. ut alterum genus syllabarum ab altero dupla longitudine superetur. Quod quum ita sit, breves syllabae certam longarum mensuram praebent: ipsae autem rursus longis syllabis, quae aequales sunt binis brevibus, definiri possunt, ita ut hac rationis duplae ac simplicis alterna oppositione omnium syllabarum quantitas accurate circumscribatur. Inde autem, quod in Latinorum lingua longam syllabam duabus brevibus adaeque aequalem esse constat, brevibus syllabis quasi fundamenta ac prima elementa eius linguae contineri,

autem ex illis prognatas et compositas atque inde

derivandas esse a nobis explicandasque certo consequitur. Quae sententia de longarum linguae Latinae syllabarum ortu a me nunc proposita quum aliis indiciis possit probari, tum linguae usu atque antiquissima scribendi consuetudine egregie confirmatur. Quod ad usum linguae attinet, illud temporis spatium, quo opus est ad brevem syllabam proferendam, *tempus* vel *moram* appellari omnes sciunt; sed id cur fiat, plerique ignorant. Scilicet omnes syllabae a prima origine breves sunt, ac propterea haec prima omnium syllabarum mensura *temporis* vocabulo simpliciter indicatur, qua voce significatur temporis particula ad vulgarem, h. e. brevem, syllabam pronuntiandam necessaria. Quae vulgares syllabae ubi duplicantur, h. e. longae fiunt, *bina tempora* s. *binas moras* duplicatis hisce syllabis tribui consentaneum est. Sed non minus ex antiquissima Romanorum scribendi consuetudine idem apparet. Longas enim syllabas, quas primitus e duabus constitisse veteres Latini sentiebant magis quam ratione perspectum habebant, duplicata littera vocali usque ad initium septimi u. c. saeculi et ultra scripserunt. Conf. Quintilianus I. O. I. 7, 14.: *semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris: atque e contrario usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis, ut dixi, vocalibus scripserunt.* Idem I. 4, 10.: *at quae ut vocales iunguntur, aut unam longam* (intellige *vocalem*) *faciunt, ut veteres scripserunt, qui geminatione earum velut apice utebantur, aut duas.* Scripserunt igitur veteres *caarus, gnaarus, ceera, ceedo, moores, mooles, suumen, luumen* s. *loumen,* ac perraro *miiles, mariinus.* Quae scribendi ratio desiit fere septimi u. c. saeculi initio, quum Accius, tragoediarum

scriptor nobilissimus, qui vixit inde ab anno 583., postremum constanter ea usus esset. Nam Quintiliani verba supra ex I. 7, 14. transcripta ut in hunc sensum accipiamus, ac non potius ab Accio sublatum esse eum scribendi morem [39]) existimemus, plures grammaticorum loci luculente ostendunt, ut Velius Longus p. 2220.: *nam nec Accium secuti sumus semper vocales geminantem, ubicunque producitur syllaba.* Conf. Terentius Scaurus p. 2255.: *primum — illa videntur esse vitiosa, quod Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit.* Quae fuit totius antiquitatis consuetudo, eam tanquam peculiarem licentiam Accio tribuit grammaticus satis imperitus. Paullo accuratius hac de re exposuit Marius Victorinus p. 2456.: *Accius vero quum scriberet anguis* (accusativ.), *angueis imponebat (item nec Z litteram nec Y in libro suo retulit), quia, quae ante fecerant Naevius et Livius, quum longa syllaba scribenda esset, duas vocales ponebant, praeterquam quae* (vocales longae) *in I litteram inciderant: hanc enim per E et I scribebant.* Ita Victorini verba, quae in Putschii editione sine sensu leguntur, distinguenda sunt. Livium et Naevium ut antiquissimos poetas exempli causa nominavit, non quod hisce praeter Accium unis peculiarem scribendi rationem vindicare voluerit. Accio aetate suppar C. Lucilius, qui vixit inde ab a. 606 — 652., primus, ut videtur, duplicandi vocales morem impugnavit nono satirarum (cf. M. Victorin. l. c.) versibus hisce:

A primum est, hinc incipiam, et quae nomina ab hoc sunt.

39) Hoc Quintiliani verba *usque ad Accium* per se spectata significare possint.

Deinde [illegible]

A primum, longa aut[40]) *brevi syllaba; nos tamen unum hoc faciemus, et uno eodemque, ut dicimus, pacto, scribemus p a c e m, p l a c i d e, I a a n u m, a r i d u m, a c e-tum.*

Lucilius igitur antiquam scribendi consuetudinem removit, una littera ad designandas vocales longas contentus, eam demque scripturam eius aequales sive ipsi probabant, sive Lucilii exemplum secuti adoptabant: nam post Accii aetatem antiquum scribendi morem oblitteratum esse Quintiliani testimonio constat. Sed num vera tradiderint Quintilianus et grammatici modo memorati, addubitavit vir imprimis eruditus, C. L. Schneider *Elementis* I. p. 96. 97.: eam enim scribendi rationem non inveniri dicit in antiquissimis monumentis, neque in Columna Duillia, neque in Scipionum monumentis sepulcralibus, neque in Senatus consulto de Bacchanalibus a. 568. facto. At vero in tanti ambitus monumentis propter magnum incidendi laborem litteris parcendum erat, ideoque nihil causae adesse puto, cur rem tantis auctoritatibus traditam in dubitationem vocemus. Columna Duillia tamen ex hac causa omnino eximenda videtur. Ea enim quum sub finem sexti u. c. saeculi fulmine in Capitolio icta et discussa esset (cf. Liv. 42, 20.), postea de integro facta et in Foro posita est. Conf. Quintilianus I. 7, 12. Quod quum fieret Lucilii fere aetate, scribendi consuetudo ad eam, quae tum placebat, immutata videtur. Obtinuisse hunc scribendi usum etiam inde approbatur, quod in multis monumentis, quae posita

40) *Longa brevis* Putschius, idem *dicimus*. Voc. *uno* non ad v. *pacto*, sed ad litteram *A* referri debet.

sunt post septimi u. c. saeculi initium, vocales longae binis litteris saepius consignatae reperiuntur: nam in his equidem moris antiqui vestigia quaedam et reliquias agnosco. Gruterus in thesauro suo exempla dedit haecce: PAASTORES. THRAACVM. VAARVS. SEEDES. MARIINVS. SANCTISSIMIIS. ARBITRATVV. CONVENTVVS (genit.). DOMVVS (genit.). MVVLVS. PECVLATVV. VVITI. Conf. Gruteri Index grammat. s. AA. EE. II. VV. Siquando, quod perraro factum invenitur, etiam brevis syllaba duabus litteris exprimitur, id haud dubie lapicidae errori imputandum est. Eadem de causa in antiquissima Graecorum scriptura vocales longae saepe binis litteris consignatae sunt, ut HATEEP. MEETEEP.

Simile est huic aliud scripturae Romanae proprium, quo nostra sententia non minus confirmari videtur. Nam in permultis et antiquioris et recentioris temporis monumentis litteram vocalem *I*, ubi longa est, prostantem prae ceteris invenimus, ut MARINVS. MATRIMONI. TVIS. Exempla plurima attuli in appendice de apice conscripta, adiecto etiam Scauri praecepto iubentis, ne huius litterae longitudo apice indicetur, ut ANTONÍ, sed forma prostante significetur, ut ANTONI. Unde hoc? Quippe quum antiquo tempore longae vocales binis litteris iuxta se positis scriberentur, eadem aetate etiam *I* longum duplici nota consignabant, sed hanc litteram rarius vulgari ratione duplicabant, (sic II), sed unum *I* supra alterum collocabant, (sic I over I): namque hoc propter litterae figuram aptius videbatur. Inde factum est *I* et tempore longum et figura, quod siquando in brevi syllaba adhibitum invenitur, lapicidae errore admissum est.

Hoc igitur quum certum esse videatur, vocales longas ex brevibus ortas et compositas esse, quumque longas vocales rursus in breves saepius solvi satis constet: *prosodiae Latinae doctrina investigare debet primum, quomodo ex brevibus syllabis ortae sint longae, tum, qua ratione longae vocales in breves resolvantur.*

Oriuntur autem longae syllabae tribus potissimum modis, primum contractione, secundum ex quodam dignitatis syllabarum sensu, tertium positione. De singulis ordine dicemus.

CAP. II.

DE CONTRACTIONE.

Quum in componendis vocabulorum elementis aut declinandis eorum finibus accideret, ut vocales litterae duae se invicem exciperent, quumque ea re impedimentum loquenti valde molestum afferretur: innata quaedam pulcri aptique cupido Latinos hoc incommodum aut lenire aut tollere eos iussit. Sed vocalium mistionem in stirpibus vocabulorum admissam explorare, fere semper aut difficillimum est, aut incertissimum, quippe quae ultra omnem memoriam remota sit et citra luculenta vestigia retrusa: contra vero in vocabulorum finibus, sive declinatione sive coniugatione enatis, illa mistio facile ac plane agnoscitur. Nam ubicunque in nominum aut verborum finibus longa vocalis reperitur, eam contractione ortam esse pronunciare non dubito. Percurramus igitur ad investigandum longarum vocalium ortum

et nominum et verborum declinationes. Itaque primae declinationis casus secundus et tertius, v. c. *familiae* contractione ortus est ex antiquissimo illo *familiaï*, quae quidem forma nullo modo ex *familiai* per diaeresin, ut vulgo existimant, oriri poterat, sed potius pro fundamento habenda est, unde formae contractae *familiai* et *familiae* deducerentur. Nam vocabuli *familia* genitivus ad analogiam tertiae declinationis, unde reliquae omnes descenderunt [41], quum efformari deberet *familiaïs*, inde modo abiecta littera *s familiaï*, modo contractis vocalibus ac servata littera finali *familiās* factum est: hisce enim formis veteres utebantur. Quintus casus *familiā*, contractus est ex *familiaë*, nominativus pluralis *familiae* ex *familiaë* vel *familiaï*, dativus et ablativus *familiīs* ex *familiaïs*, accusativus *familiās* ex *familiaës*. Sequitur secunda declinatio. Forma *populī* genitivi contracta est ex *populuï* s. *populoï*; nominativi pluralis *populī* ex *populoë* s. *populoï*; dativi singularis forma *populō* ex *populoï*, ablativi ex *populoë* orta, ac multitudinis casus tertius et quintus *populīs* ex *populoïs* detortus est. Tertiae declinationis casum tertium in fine produci, ut *patrī*, sane mirum videatur; *ī* enim illud contractione ortum esse demonstrari nequit, immo ex genitivo *patrĭs*, abiecta littera finali dativum esse factum liquido appaeet. Quapropter detrimentum litterae aut productione syllabae compensatum, ut in *ăb* et *ā*, in *ex* (ἐξ) et *ē*, aut *ī* in fine positum ad analogiam aliorum casuum in *ī* longum desinentium productum videtur. Eadem ratione genitivi *diēī* litteram longam ex-pli-

41) Hoc alio loco uberius explicandum mihi reservavi.

plicandam esse existimo: nam iste casus, quum ad analogiam tertiae declinationis *dieis* efformari deberet, inde modo abiecta littera ultima factum est *diei*, modo contractis vocalibus *dies*, qua genitivi forma antiquiores itidem utebantur. Sed quemadmodum formam *dies* ex *diei* ortam esse nemo concedit, eodem iure formam *aulai* et *familiai* ex *aulai* et *familiai* factam esse supra negavimus. Nam vide mihi, quam similis utriusque sit ratio:

aulais, aulai[42]) et *aulas*.

dieis, diei et *dies*.

Sed ut revertamur, unde digressi sumus, ad tertiam declinationem, eius nominativus in *es* longum desinens, ut *patres*, plane respondet Atticorum tertiae declinationis nominativis, qui a vocabulis in *εὐς* exeuntibus efformantur, ut βασιλῆς, τοκῆς, γονῆς, quae forma ex antiquissima Graecorum lingua in Atticorum dialectu restitit. Itaque longa illa syllaba in *patres* contractione orta est. Reliqui tertiae declinationis casus omnes in brevem syllabam exeunt propterea, quod haec declinatio tanquam ceterarum fundamentum in fingendis casibus mixtioni non ita obnoxia esse potuit. Quartae declinationis perfacilis et expedita est ratio: namque genitivus in *us* desinens contractus est ex *uis*, *sensus* ex *sensuis*; tertii casus longa syllaba finalis, *sensui*, inde explicanda est, quae modo de *i* longo tertiae et quintae declinationis exposui; quintus casus, *sensu* ex *sensue*, nominativus multitudinis, *sensus*, ex *sensues* contractus est. Quintae declinationis *i* in secundo tertioque casu longum modo explicavimus: ablativus, *die*, ex *diee*, nominativus

42) Hinc serius demum *aulae* ortum est.

et accusativus multitudinis, *diēs*, ex *dies* contracti sunt. Idem in verborum declinatione (coniugationibus) animadvertitur, ut videlicet producti verborum exitus contractione orti sint; ad quod illustrandum indicativi praesentis formas recognoscemus. Itaque *amō*[43]) contractum est ex *amao*, *amās* ex *amaïs*, *amāmus* ex *amaïmus*, *amātis* ex *amaïtis*, *amant* ex *amaiint*. Cur ex *amaït* fiat *amat*, ex *doceït docĕt*, ex *audiit audĭt*, infra explicabimus. Simili modo *docēs* ortum est ex *doceïs*, *docēmus* ex *doceïmus*, *docētis* ex *doceïtis*, *docent* ex *doceiint*; *audīs* ex *audiis*, *audīmus* ex *audiimus*, *audītis* ex *audiitis*. Tertiae verborum declinationis exitus, quippe quae in modo indicativo temporis praesentis nulli mistioni obnoxia fuerit, omnes breves sunt; ultima in *legunt* (λέγοντι) sola positione producta est. Accuratius haec persequenda sunt in declinationis verborum doctrina; sed unum etiam hoc loco breviter perstringemus. Namque longa finalis in *audīvī*, *lēgī*, *audīvistī*, *legistī* quomodo contractione orta sit, quum non facile quisquam ostenderit: equidem ad analogiam nominum in *i* longum desinentium eam longitudinem natam esse affirmaverim. Quod ita se habere praeclare ostendit secunda numeri multitudinis persona, quae quamvis adiecta una littera ex secunda singularis orta sit, *audīvistĭs* et *legistĭs* ex *audīvistī* et *legistī*, ea tamen continuo brevem

43) Si quando primae declinationis prima persona correpta reperitur, id singulari licentiae imputandum est, quae quidem sequebatur analogiam ceterarum declinationum in *o* non contractum desinentium, ut *docĕō*, *legŏ*, *audĭō*. Ceterum rationem supra de verborum declinatione magis a nobis significatam quam explicatam (ut hoc loco par erat) praeivit Struvius in praeclaro libro de Latina declinatione et coniugatione conscripto.

litteram recepit, quae in fine littera consona destituta non tam ratione quam consuetudine producta erat. Sed non solum in declinandis vocabulorum finibus, sed etiam in componendis eorundem elementis saepius duae vocales concurrunt atque coalescentes longam syllabam efficiunt. Itaque *dēmo* enatum est ex *de* et *emo*, *nēmo* ex *ne* et *hemo* (homo), *tibīcen* ex *tibiicen*, *cōpia* ex *coopia*, *cōgo* ex *coago* sive *coïgo*. In universum de contractione linguae Latinae hoc observandum est, peracta mistione prioris a vocabuli initio vocalis sonum longe saepius teneri quam posterioris: hunc enim plerumque obscurari apparebit conferenti multa contractionis exempla, quae congessit C. L. Schneider *Elementis linguae Latinae* I. p. 117 — 128. Eius rei causa in accentu posita videtur. Namque in vocabulis longe plurimis, in quibus duae syllabae contractae in unam inveniuntur, earum prior aut ipsa accentu elevatur, aut syllabae accentu elevatae propior est quam altera. Si ipsa prior syllaba accentu elevatur, cur eius sonus contractione peracta teneatur, alterius syllabae obscuretur, facile intelligitur: vis enim pronunciationis maior in priore posita est. Itaque ex *amáïmus* fit *amâmus*, non *amîmus*, ex *docéïmus* *docêmus*, non *docîmus*. Sin prior contrahendarum syllabarum accentui propior collocata est, tum quoque, quia vox ab antepenultima per penultimam descendit ad ultimam, prioris quam alterius syllabae vim maiorem esse apparet. Itaque ex *ámaĕ* fit *ámā*, non *ámē*, ex *aúdĭĕ* *aúdī*, non *aúdē*. Quae ratio quum ad alia, veluti ad voc. *sâtis* et *sîmus*, orta ex *siêtis* et *siêmus*, accommodari nequeat: haec tamen observatio etiam inde approbatur, quod ex *neúnquam* fit *nûnquam*, ex *neúllus* *nûllus*, in qui-

bus vocabulis syllabae accentu elevatae sonus contra vulgarem contrahendi usum servatur.

Contractionis genus paullulum ab eo, de quo diximus, diversum illud est, quo duae syllabae in novam ita coeunt, ut sonus ex utraque mixtus oriatur. Syllaba eiusmodi contractione nata diphthongus vocatur, quae quum duo sonos in unum conflatos habeat, duobus quoque temporibus completur. Ea ratione ex *ne-uter* factum est *neuter*, ex *neutiquam neutiquam*, ex *aulaï aulai* et *aulae*, ex *escaï escai* et *escae*.

Tertia contrahendi ratio eo constat, quod duae syllabae, quae alioquin distinentur, quadam sive loquentis sive scribentis licentia in unam longam coniunguntur, ut si poetae vocibus *cereus*, *beatus*, *quietus*, aliquando ita utuntur, ut duabus tantum syllabis proferantur, *cereus*, *beatus*, *quietus*. Haec venia, quam *synaeresin* appellant grammatici, originem duxit a sermonis vulgaris libero incessu et festinatione, ac propterea apud illos poetas saepissime reperitur, qui communem sermonem quasi normam loquendi sequuntur. Quapropter imprimis Plautus Terentiusque in hoc genere tantum sibi indulserunt, ut quae in eorum versibus mira saepe videantur, recte pronunciata bene decurrant. Synaeresis exempla collegit C. L. Schneider *Elementis linguae Latinae* p. 89 — 94.

Sed priusquam mittamus contractionem, ad eam quaestionem breviter respondendum est, quam ad labefactandam doctrinam de syllabis brevibus ac longis modo propositam movere quispiam possit. Nam quum ex duabus brevibus longam syllabam duarum morarum oriri certum sit: syllabae longae brevisque consociatione non duarum,

sed trium morarum syllabam procreari exspectares. Quo in genere duo consideranda sunt: aut enim longa praeit ac subsequitur brevis, aut brevis priore loco et longa posteriore posita est. Prioris generis exempla sunt *nē-uter*, *dē-amo*, *dē-ago*, unde fit *neuter*, *demo*, *dego*. In his cum contracta syllaba duo tempora, non tria, contineat, ratio in aperto est; nam eo, quod longa syllaba *ne* vel *de* vocali alteri adiungitur, ipsa, ut postea videbimus, suam partem sive moram alteram amittit, ideoque syllaba contractione orta duo tantum tempora continet. Alterius generis exempla sunt *sītis* et *sīmus*, facta ex *siētis* et *siēmus*, in quibus quamvis non valeat causa ante exposita, tamen propter totius linguae analogiam etiam illis syllabis concretis duae tantum morae tribuuntur.

CAP. III.

DE LONGIS SYLLABIS EX QUODAM DIGNITATIS EARUM SENSU ORTIS.

Ex longis syllabis quum permultas duarum concretione ortas esse satis certum videatur, magnus tamen restat longarum syllabarum numerus, in quibus utrum contractio unquam obtinuerit nec ne, certo diiudicari nequit; sed obtinuisse eam aliquando, quum simplicissima vocabulorum elementa ad iustas voces coirent, concedendum arbitror. Nec vero affirmamus, fuisse aliquo tempore linguae et vocabulorum particulas ita dispersas, ut demum iusta elementorum compositione voces perfectiores sensim sensimque

procreatae sint: nam ad tam alta ac remota initia qui coniectura escendere conatur, is inania captet necesse est. Immo multa vocabula quodammodo iam perfecta erant, ubi primum audita sunt: sed nihilominus etiam in hisce quaedam vocalium concretio praecessisse poterat, quam sentientes magis quam perspicientes primi populi Latini homines eiusmodi syllabis duplex tempus tribuendum putarunt. Itaque eas vocales longas, quas concretione duarum ortas esse liquido demonstrari nequit, ex obscuro quodam dignitatis earum sensu productas esse iudico. Quae sententia eo confirmatur, quod eiusmodi vocales non ad exitus vocabulorum, sed ad stirpes et fundamenta pertinent. Sed hoc loco nobis obiicitur difficillima illa quaestio, utrum lingua Latina iam ab antiquissimis temporibus syllabarum quantitatem ita discretam habuerit, ut vocales unius atque duarum morarum agnosceret, an potius certo quantitatis syllabarum discrimine haud distincta accentus legibus obtemperaverit, ita ut aliae syllabae ab accentu elevatae diutius tenerentur, aliae eo destitutae citius pronunciarentur. Hoc quidem post Bentleium, qui tamen sine sua culpa huiusce opinionis auctor factus est, a multis ita agnoscitur, ut alii reconditam quandam sapientiam ac μουσικήν eo profiteri sibi videantur, alii sine ulla dubitatione de hac antiquissimae linguae Latinae indole, tanquam de re certissima, loqui audeant. Quapropter quaestionem tam male institutam et agitatam ab initio aggredi placet, ac missis, qui hoc persuasum habent, contrarium demonstrare conabor, syllabarum videlicet longarum breviumque discrimen nulla accentus ratione habita iam in antiquissima Latinorum lingua certe definitum fuisse.

Primum sententiae modo propositae argumentum inde mihi petendum est, quod Latinorum linguam talem esse constat, cuius eaedem sint atque Graecae radices, immo antiquissima Graecorum dialectus haud sane multum a Latina lingua differebat, quum in Aeolensium dialectu, quippe quae ab antiquissima Graeca non multum recesserit, tanta cum Romana lingua similitudo observetur. Utriusque linguae discrimen inde ortum est, quod lingua Latina, cuius radices et fundamenta a prima origine Graeca erant, mixta est cum Oscorum, populi Italici, dialectu, quae tamen ipsa, ut O. Müller egregie ostendit, a Graeca lingua non prorsus diversa fuit. Iam vero nemo negat, in Graecorum lingua ab antiquissimis inde temporibus quantitatem syllabarum, brevium longarumque, certo definitam fuisse atque ex accentus lege nullo modo suspensam. Quo concesso idem de lingua Latina statuendum esse sequitur; nam haec Graecae est soror, quamvis haud plane integra ac temporis decursu paullulum inquinata. Sed huic argumento nos ipsi fortasse non multum tribuendum putaremus, nisi certum quantitatis syllabarum discrimen luculente agnosceretur quum alibi, tum in finibus nominum verborumque; in quibus ut quisque exitus concretione vocalium ortus est, producitur, alioquin corripitur. Atqui haec vocalium concretio tam penitus iuncta est cum totius linguae Latinae ingenio, ut ea vel antiquissimis temporibus vindicanda sit. Quod quum ita est, etiam hoc probe considerandum videtur, finalium syllabarum longitudinem accentu eo minus effici potuisse, quo certius constat, accentum a finibus vocabulorum Latinorum semper removeri. Eo accedit, quod longae vocales in stirpibus vocabulorum positae accentu

omnino carent saepissime, ut *argumentum*, *monumentum*, *molimen*, *curator*: et contra syllabae accentu elevatae saepissime correpte pronunciantur, ut *habeo*, *video*, *memoria*, *celeriter*. Atque hanc ipsam vocabulorum, quae modo posui, prosodiam non minus in Terentii Plautique comoediis et in ipsis nuthetti Saturnii reliquiis, quam apud Augustae aetatis poetas agnoscendam esse rerum periti libenter concedent. Sed opinionis illius perversitas quo melius perspiciatur, eorum, quae in accentus doctrina hac de re exposui, memoriam replicari velim et ad illud praecipue attendi animum, quod neque ex versu Saturnio, antiquissimo Italorum numero, illa linguae Latinae indoles ostendi potest, neque accentus vis antiquissima aetate maior, immo minor fuit, quam eo tempore, quo lingua Latina vel maxime culta erat. Conf. quae disputavi p. 30. et 70. Iam ad aliud nos convertimus. Si antiquis temporibus syllabarum quantitas incerta vagabatur, atque ex accentus lege modo his modo illis brevitas vel longitudo concedebatur: certo tempore magnam Latinae linguae conversionem factam esse apparet, quia, quum ea magnopere florebat, syllabarum quantitatem accurate definitam fuisse constat. Quis igitur hanc totius linguae conversionem effecit? Ennius, respondent. Di boni, quid bono Ennio imputatur? Immo certius etiam sic loquuntur: Ennius atque epici poetae quantitatem syllabarum secuti sunt, accentum neglexerunt; scenici antiquam consuetudinem tenebant et accentum solum in numeris pangendis spectabant. Quod si verum esset, mirari satis non possem antiquorum scriptorum incuriam ac negligentiam, quod de tam admirabili linguae conversione ne verbum quidem unquam protulerint: ad-

mirarer magis etiam Ennium, non quod homo ille sane ποικίλος tria corda haberet, sed duo prorsus diversa. Namque idem quum non solum carmen epicum scripserit, sed etiam comoedias tragoediasque docuerit: Ennium in altero carminum genere lingua multum diversa atque in altero usum esse sequeretur, si vera essent, quae ei iniuste tribuuntur. At vero Plauti Terentiique versus nisi accentu metiaris, nihil inde effeceris. Immo si Plauti Terentiique versus accentu metiris, non solum ex eorum versibus, sed etiam ex singulis verbis monstra procudis, ac non solum certam syllabarum quantitatem, sed etiam accentum ipsum amittis. Vide enim mihi accentum, qualis est in *pigritiá*, *mísericordia*, quem tu Plauto obtrudis, quippe homini plebeio, ac durissime quaeque proferre non humano ore, sed ingenti rictu consueto. Verbum non addam. Haec enim, quae per se omni fundamento carent, quaeque ex infelici accentus arsisque confusione orta sunt, copiosius refutavi in libri antecedentis capite septimo. Plauti Terentiique versus syllabarum quantitate servata nullo modo ex accentu aptos esse apparebit, simulac de positione rectius expositum fuerit. Quo facto utrumque comicum eandem fere prosodiae normam observasse constabit, quam usam esse Virgilium Horatiumque atque ceteros Latinorum poetas scimus. Quod si in decursu libri nostri praestitum esse agnoscetur, fore speramus, ut opinio modo impugnata in perpetuum tollatur.

CAP. IV.

DE POSITIONE.

Ad tertiam, qua longas syllabas e brevibus oriri ac procreari diximus, rationem accedimus, de qua quum nostra sententia a ceteris viris doctis multum discrepet, copiosius exponendum videtur. In omnibus fere linguis, quae syllabas breves ac longas certa ratione habent distinctas, solet evenire, ut qui numeris linguae materiam primi astringere conantur, longarum syllabarum numerum a brevibus magno suo incommodo nimium quantum superari sentiant. Quod cur ita fiat, in promptu est videre: nam a prima origine nonnisi breves aderant syllabae, unde sensim sensimque longae orirentur. Hoc impedimentum haud dubie sentiebant qui in Graecis primi versus heroicos scripserunt, idque ita effugere conati sunt, ut syllabas longas ex brevibus ipsi procuderent: nam huic rationi, quum multa alia, tum vocalem in illis comparativi formis σοφώτερος, μαλακώτερος productam tribuendam esse, ultra omnem dubitationem positum videtur. Eadem syllabarum longarum penuria magis etiam qui primi apud Latinos hexametris usi sunt quum premerentur, ipsi longas syllabas finxerunt, quo illud incommodum evitarent. Praecipuum vero ad longas vocales procudendas adiumentum eo constabat, ut eas litteras, quae inter vocales et consonantes mediae quasi interiectae essent, duplicarent, h. e. ut semivocales *l*, *m*, *n*, *r* bis et scriberent et pronunciarent. Haec enim ratio admodum similis est illi, qua duplicata littera vocali iti-

dem longae syllabae oriuntur. Itaque quum antiquissimo tempore scriberent et, ut equidem iudico, pronunciarent *ile, mile, anus, eror*: poetae epici longam vocalem requirentes sive pronunciaverunt sive etiam scripserunt *ille, mille, annus, error*. Rem sic se habuisse fidem faciunt Quintiliani verba I. 7, 14.: *semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris*. Sed eandem rem ex M. Verrio Flacco accuratius tradidit Festus s. v. *Solitaurilia* — *nomen antiquae consuetudinis per unum l enunciari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo, quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aeque scribentes ac legentes duplicabant mutas et semivocales et liquidas.*" Conf. idem s. v. *Torum:* — *ut significat torridum, aridum, per unum quidem r antiqua consuetudine scribitur. Sed quasi per duo r scribatur, pronunciari oportet, nam antiqui nec mutas nec semivocales litteras geminabant, ut fit in Ennio, Arrio, Annio*[44]. Quod Quintilianus de solis semivocalibus memoravit, hoc de omnibus litteris consonis ex Verrio Flacco Festus narravit; idemque quum tradiderit, a quonam potissimum in hac re novatum sit, illam scribendi consuetudinem sexto u. c. saeculo vindicandam esse edocemur; Ennius enim natus est anno u. c. 513, mortuus a. 585. Nec vero soli Ennio duplicandarum consonantium consuetudinem tribuendam existimo, sed omnibus illis, qui primi versu heroico a Graecis accepto usi longarum vocalium penuria preme-

44) Haec nomina pro exemplis litterarum geminatarum afferuntur. Ceterum quae de *tori* etymo et pronunciatione exposuit grammaticus, ea manifesto falsa sunt.

rentur. Itaque epici Latinorum poetae, ut ego iudico, duplicandis litteris consonis longas vocales Graecorum more sibi fecerunt, et ab hoc initio longius progressi illam legem eam vim habere voluerunt, ut non solum ante geminatam eandem consonantem, sed ubicunque duae litterae consonae vocalem subsequerentur, continuo ea vocalis produceretur. Quas quidem syllabas, non suis temporibus s. moris productas, sed artificio quodam porrectas, *positione longas* appellabant sive ipsi poetae, sive qui primi ea de re ratione ac via exposuerunt. Haec vero *positionis* significatio opposita est *naturae*, ut in Graecis vocabula θέσις ac φύσις simili ratione sibi opponuntur, h. e. syllabae *positione* s. θέσει productae hominum arbitrio porrectae sunt. Prima enim ac vera vocis *positionis* significatio neque *locus* est neque *positus*, idemque de Graecorum θέσει potest dici. Nam quod P. Nigidius Figulus (apud A. Gellium N. A. IV. 17, 8.) ac Terentianus Maurus p. 2405. 2407. pro *positione* vocabulo *positus* utuntur, inde nihil probatur, nisi utrumque veram positionis vim haud perspectam habuisse. Sed veram *positionis* significationem dicamne scientia an casu optime expressit summus magister, F. Quintilianus I. 5, 28. hisce verbis: *evenit, ut metri quoque condicio mutet accentum, ut*

Pecudes pictaeque volucres;

nam volucres media acuta legam, quia etsi brevis natura (h. e. φύσει), *tamen positione* (h. e. θέσει) *longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus heroicus.* Vides igitur in voce *volucris* mediam *natura*, h. e. secundum omnium hominum pronunciationem, brevem esse, sed a poeta ex arbitrio s. positione produci. Eandem Grae-

eorum positionis explicationem quum Boeckhius, vir sagacissimus, et alibi quasi praeteriens significasset, et cum Buttmanno non expositis, ut suspicor, sententiae suae argumentis communicasset: eius assensum conciliare sibi non potuit. Conf. Buttmanni *gramm. uberior.* t. I. p. 31. not. Verum enim vero hanc positionis explicationem verissimam esse, ex lingua Latina certo demonstrari potest, sive historiae testimonia sive litterarum reliquias spectaveris. Primum igitur ad id praecipue animum attendi velim, quod a multis ac bonis testibus litteras consonas non geminatas esse ante Ennium tradituр; quod qui nobis narraverunt, intelligi volebant, a veteribus Latinis duplicem consonantem non in scribendo admissam, sed tamen in pronunciando expressam esse [45]. Hoc autem nihil significari potest, nisi antiquo tempore nonnullas syllabas acute pronunciatas esse, quas recentiores duabus consonantibus expresserint. Antiqui igitur cum pronunciarent *íle, míle, Camílus, ánus, ímolo, íritus, habúse, repulíse*, recentiores scripserunt *ille, mille, Camillus, annus, immolo, irritus, habuisse, reppulisse*. Quae syllabae quum neque antiquo tempore longae fuerint, (tum enim duabus vocalibus scribendae fuissent,) neque postea in vulgari sermone, ut videbimus, producte, sed acute tantum pronunciatae sint: eas in versibus *positione* sive ex quadam poetarum consuetudine et conventu longarum dignitatem obtinere apparet. Sed hanc rem ita, ut modo exposuimus, se habere, alia quadam observatione ni-

45) Isidorus, qui *Originibus* I. 26. fin. sicilico supra posito veteres indicasse consonantem, quam geminari oporteret, tradit, infimae aetatis usum ad antiquissima tempora rettulit. Nam neque in antiquissimis inscriptionibus, neque in paullo recentioribus ille sicilici usus reperitur.

mium quantum confirmatum iri speramus. Antiquae enim aetatis poetae scenici, Plautus praecipue ac Terentius, vocalibus positione praeditis modo pro brevibus, modo pro longis utuntur, idque cur faciant, qui ex accentu explicare conantur, eos operam et oleum perdere et ante vidimus, et iam rursus commonstrare placet. Nam primum illi comici syllabas natura sua longas nunquam sine idoneo argumento corripiendas putaverunt, quod tamen fieri debuit, si accentui vis inesset syllabas et producendi et corripiendi; tum vero e contrario breves syllabas accentus ope producere non unquam ausi sunt: nam hae siquando pro longis admittuntur, fere in vocabulorum finibus positae sunt, in quibus *accentum* omnino non tolerari, arsin vero rhythmicam vim suam exercere satis inter omnes constat: denique vel illae vocales, quae accentu simul et positione praeditae sunt, corripiuntur saepissime, quo argumento quum opinio illa planissime refutetur, pauca huius correptionis exempla, quamvis suppetant millia, transcribere placuit ex Plauti Captivis prolog. 60., Mercatore IV. 4, 56., Asinaria I. 3, 88.; ex Terentii Andria II. 6, 8., Eunucho III. 1, 5., Hecyra V. 4, 27.

Foris illic extra scenam fient proelia.
Concivit hostes: domi uxor est acerruma.
Portitorum simillimae sunt ianuae lenoniae.
Propter hospitaï huiusce consuetudinem.
Deducam. sed eccum militem. — est istuc datum.
Omnia omnes ubi resciscunt. hic, quos fuerat par resciscere.

E contrario syllabam accentu destitutam a poetis scenicis propter solam positionem saepe produci sciunt omnes. Ex

accentu igitur quum haec comicorum consuetudo apta esse nequeat, eam alia ac nova ratione ita explicandam arbitramur, ut non solum geminatas litteras, sed totam positionem Ennii demum aetate vel paullo prius praecipue ab illis, qui hexametris utebantur, in linguam Latinam illatam esse statuamus. Iam multa alioqui summis ac plurimis difficultatibus implicita ad explicandum et intelligendum facillima sunt: iam non mirabimur, cur Plautus et Terentius syllabis positione praeditis modo pro longis modo pro brevibus utantur. Etenim poetae scenici positionem versibus suis modo aptam modo adversam esse quum intelligerent: modo antiquum morem, quo nihil valebat positio, secuti sunt, modo recens inventum adoptaverunt. Qua observatione ingens numerus spondeorum et dactylorum e sedibus iambicorum versuum paribus trochaicorumque imparibus, multique anapaesti e iambis ac trochaeis pelluntur vel potius ultro evanescunt, eoque versus Plauti ac Terentii eisdem fere numeri legibus decurrunt, quibus Graecorum versus vulgares dimetiendos esse scimus. Evanescit porro magna prosodiae libertas, hisce poetis humane, sed falso concessa, evanescit etiam quodammodo antiquae et recentioris prosodiae discrimen, quum liberiore tantum positionis usu poetae scenici ab epicis et lyricis longe discedant: nam cetera diversitatis momenta et levia sunt et ex vulgari pronunciandi licentia facile explicanda.

Haec vero sententia, de positionis origine proposita, egregie confirmatur sermonis vulgaris ratione; in quo quum positionis vel nulla vis esset vel admodum minuta, eam nihil nisi adminiculum fuisse ad versus componendos inde consequitur. Cuius rei testes missis aliis cito longe locu-

plctissimos. Primus est Festus seu potius Verrius Flaccus, aetatis Augustae grammaticus eruditissimus, s. v. *Inlex*: *inlex producta sequenti syllaba significat, qui legi non paret; inlex correpta sequenti syllaba significat inductorem, ab illiciendo. Plautus: Esca est meretrix lectus inlex*[46]). Quod quidem testimonium, ab ipso Verrio Flacco, ac non a misellis eius excerptoribus haud dubie profectum, ad veram positionis vim agnoscendam et diiudicandam longe gravissimum est. Nam inde cognoscimus, etiam Augusta aetate in vulgari hominum sermone vocabuli *illex*, inductorem significantis, secundam syllabam correpte pronunciatam fuisse, quamvis ea in duplicem litteram desineret: contra vocabuli *illex*, legi non parentem significantis, ultimam syllabam, quae natura longa est, producte prolatam esse. Itaque Augustae aetatis homines positionem in vulgari sermone omnino negligebant, vel certe syllabam natura sua longam ac syllabam sola positione praeditam ratione multum diversa pronunciabant. Nos, qui in talibus discernendis non multum diligentiae adhibemus, quomodo *exlĕx* et *pellĕx* proferenda sint, inde discamus. Alter testis eo, quem modo audivimus, est etiam locupletior:

46) Plauti verba leguntur in Asinar. I. 3, 68.:

Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves.

Itaque ipse Verrius Flaccus in quarto huius versus pede neque spondeum neque in ultima verbi *illex* syllaba positionem agnoscebat. Ceterum vera vocabuli forma, quam Festus servavit, est *illex*, non *illix*, quam Nonius p. 446, 31. exhibet: id enim simile vocabulum *pellex* ostendit. Nonius falsus est versu ex Plauti Poenulo ab eo laudato III. 4, 35.:

Qui illi malae rei tantae fuimus illices.

Ex forma numeri pluralis *illices* singularem *illix* imprudenter sibi effinxit Nonius.

tibi namque ipse optimus Latinitatis magister, Cicero, haec scribit Oratore 48, 159.: *quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto? inclitus dicimus brevi prima littera, insanus producta; inhumanus[47]) brevi; infelix longa: et, ne multis, quibus in verbis eae primae litterae sunt, quae in sapiente atque felice, produce dicitur, in ceteris omnibus breviter.* Haec tu non intelliges, nisi positionis vim in communi sermone tam exiguam fuisse, ut propter eam syllabae non producerentur, animo informaveris. Quo perspecto facile intelligitur, quo sensu dixerit Cicero, praepositionem *in quodam instituto*, h. e. peculiari quadam consuetudine, in verbis ab *f* et *s* incipientibus produce dici, in ceteris omnibus breviter.

Si positionis ea est origo et ratio, quam nos explicavimus, iam sole clarius apparet, cur, ubi vocalis natura sua longa ante duas consonantes litteras posita est, haec positio omnem vim amittat: id quod nonnulli ex antiquis grammaticis probe agnoverunt, ut Valerius Probus p. 1431.: *saepe invenitur positio in syllabis natura longis; sed si naturaliter producuntur, positionem superfluam habent.* Alii contra grammaticorum, qui doctrinae suae in umbraculis excogitatae plus tribuerent, quam receptae ab omnibus pronunciationi, syllabam natura sua longam simulque ante plures consonantes positam longius etiam, quam per duo tempora produci opinabantur. Hasce argutias libenter relinquimus istis, de quorum somniis exposuit Priscianus II. p. 572. 573. sive ex Krehlii editione t. I. p. 64. 65.:

---

47) Spiritum tanquam litteram consonam Cicero perperam agnovit.

tempus unum vel duo, vel etiam, ut quibusdam placet, unum semis vel duo semis et tria: unum, si vocalis est brevis per se, ut amo; vel si eam una consonans simplex consequitur, ut caput; unum semis in communibus syllabis, de quibus multi docuerunt, ut lacrimae. — — In longis natura vel positione duo sunt tempora, ut do, ars; duo semis, quando post vocalem natura longam una sequitur consonans, ut sol; tria, quando post vocalem natura longam duae consonantes sequuntur, vel una duplex, ut mons, rex. In hisce ineptiis longius etiam progredi poterant homines isti male seduli: quid enim illam disputationem in hunc modum continuari vetat? *Tria semis, quando post vocalem natura longam tres consonantes sequuntur, ut plectrum, sceptrum.* Sed parcere chartae praestat. Nonnullis Graecorum grammaticis simili ratione ineptire placuit.

Sed postquam de positionis vi, apud antiquos poetas scenicos et in vulgari hominum sermone quae obtinuerit, satis expositum est: deinceps videamus, quae positionis leges ab epicis poetis et lyricis observentur. Quae res quum nullis difficultatibus impedita et ab aliis iam saepius explicata sit: de hac quaestione paucis verbis absolvendum est. Positionem igitur poetae epici ac lyrici agnoscunt ubicunque duae pluresve consonantes vocalem subsequuntur, sive pertinent ad idem verbum, cuius vocalis producitur, ut *mīlle*, *antēnna*, *ōbscurus*, sive una tantummodo littera consonans in verbi exitu posita est altero vocabulo itidem incipiente a consonante, ut *patēr meus*, *malūm maximum*, sive utraque consonans ad verbum subsequens pertinet, ut *benē scio*, *pulcrā species*.

Veteres tamen epici a poetis, qui inde a Ciceronis aetate floruerunt, discedunt eo, quod litteram *s* in verborum finibus positam in pronunciando saepe omittunt, vocalemque ultimam, quamvis sequente verbo a consonante incipiente, non producunt. Exemplo sit Ennii versus longus a M. Victorino p. 1963. servatus:

Tum lateralis dolor, certissimus nuncius mortis.

Eadem venia etiam Cicero in Aratei carminis conversione, quam iuvenis fecit, aliquoties usus est, ut in eo versu, quem laudavit *de Nat. D.* II. 43, 110.:

Magnus Leo tremulam quatiens e corpore flammam —

et in eo, quem transcripsit II. 42, 106.:

Torvus Draco serpit subter superaque revolvens.

Idem Cicero quum senex Oratorem scriberet, hoc et ipsi et aequalibus eius iam subrusticum visum est. Conf. Or. 48, 161. Diligentissime de hac litterae *s* omissione expositum est a C. L. Schneidero *Elementis ling. Lat.* I. 1. p. 346 — 351. Equidem illam litteram in scribendo non omittendam esse existimavi, quemadmodum etiam litteram *m* scribimus, ubi in pronunciando omittitur. Nec vero semper litteram *s* in finibus vocabulorum positam a veteribus epicis neglectam esse putabimus; nam sequente vocali fere semper ea tenebatur, quamvis vel tunc omitti posset (conf. Schneider. l. l. p. 349. 350.), neque sequente consonante positionem ea efficere non potest. Romani igitur, ut reliqui Italiae populi, quum ad litteram *s* in vocum finibus omittendam nimium quantum inclinarent[48]): veteres

48) Hoc quidem ex multis indiciis luculente apparet; ex quibus ut unum paullo obscurius afferam, genitivum primae ac secundae quintaeque declinationis, *mensae*, *populi*, *diei*, inde ortum esse dico.

poetae vulgarem pronunciationem probavere, si eam versibus suis aptam esse viderent, sed recentiores eiusdem litterae dignitatem Graecae linguae exemplo tuendam esse iudicaverunt.

Revertimur ad positionem. Si post brevem vocalem muta cum liquida sequitur, eam syllabam epici ac lyrici Latinorum modo corripiunt, modo producunt, ita tamen, ut correptiones saepius adhibeant ac syllabas productas plerumque in arsi ponant. Conf. C. L. Schneider. l. l. I. 2. p. 676—683. Sed ubi muta priori loco collocata una ex mediis est, sive *b*, sive *d*, sive *g*, ac subsequens liquida, sive *l*, sive *m*, sive *n*: tunc positio vim suam tenet ac vocalem antecedentem produci iubet, ut *ignārus*, *signum*, *pūblicus*. Conf. Schneider. I. l. p. 683—685. Si muta cum subsequente liquida in vocabuli initio positae sunt, antecedentis verbi vocalis finalis aliquando producitur accedente plerumque arsi rhythmica, saepius autem ea corripitur. Conf. Schneider. l. l. p. 689—714.

CAP. V.

DE ARSI.

Agnoscimus quoddam *positionis* genus, quamvis ab antecedente diversum, in omnibus syllabis, quae *arsis* ope productae inveniuntur; cuius quidem vim quum paullo latius patere iudicemus, quam vulgo existimatur, rem totam via ac ratione exponere non alienum ab instituto nostro esse duximus. Etenim positio quae proprie vocatur, talis est syllabarum natura brevium productio, qualis vel duabus vel

pluribus consonantibus adiuvatur: syllabae autem arsi porrectae itidem longae ex brevibus ita factae sunt, ut earum productio, quamvis poetarum arbitrio sive positione admissa, numeri adminiculo ac versus loco excusetur. Eo autem alterum hoc positionis genus a priore differt plurimum, quod raro ac nonnisi necessitate coacti productionibus arsi excusandis poetae utuntur: nimirum in arsi ad efficiendam longam syllabam minus erat praesidii, quam in duabus consonantibus vocalem brevem subsequentibus. Poetae igitur quum vulgari positione admissa nihilominus longarum vocalium penuria se premi sentirent, ad evitandum hoc incommodum syllabas longas nova ratione sibi procudendas esse existimaverunt. Quod quidem ita instituerunt, ut syllabam brevem in arsi, h. e. eo versus loco, quo numeri motus acceleratur, positam saepius producerent, si duarum condicionum, quas iam significabimus, alterutra adesset. Quarum prior postulat, ut talis sequatur consonans, quae inter pronunciandum duplicari facile potest, veluti quae primae litterae sunt in *lecto*, *mari*, *nasu*, *ratione*. Itaque, ut de singulis hisce litteris ordine dicamus, littera *l* antecedentem vocalem brevem, si ea in arsi posita est, interdum producit, ut in Ennii versu, quem laudavit ex Valerii Probi epistola scripta ad Marcellum A. Gellius IV. 7, 5.:

Qui propter Hannibălis copias consederant [49]).

Ennium pronunciasse *Hânnibalem*, ex hoc versu Valerius Probus temere collegit. Confidenter hoc dico propterea,

---

49) Hic versus haud dubie corruptus est: nam Gellius *quadratum*, h. e. trochaicum tetrametrum catalecticum (cf. II. 29, 20.) eum esse dicit. Lege igitur cum Vossio *de historicis Latinis*, p. 10.:

Quique propter Hannibalis copias consederant.

quod Ennius admissa hac nova prosodia in Annalibus suis, in quibus *Hannibal* saepissime nominandus erat, ne semel quidem huius nominis casus obliquos includere versibus longis potuisset. Sed ille Valerius Probus, quem vera huius rei ratio fugiebat, Ennium et Plautum multosque alios et *Hânnibâlem* et *Asdrubâlem* et *Hamilcârem* pronunciasse affirmabat, solius tamen hunc Ennii versum afferebat ex libro, qui *Scipio* inscribebatur. Conf. *Accentu doctr.* p. 45 — 48. Eadem de causa primam syllabam verborum *rĕligio* et *rĕligiosus* producere poetis epicis licuit, ut Virgilio Aen. II. 365.;

Corpora, perque domos et rēligiosa deorum.

Conf. Horat. Sat. I. 9, 71.:

Rēligio est — At mi, sum paullo infirmior, unus.

Falso haec scribunt *relligio* et *relligiosus*; nam ut Virgilius Horatiusque in hisce locis licentia quadam ita pronunciaverint, nihil tamen ad id significandum duplici littera egebant, sed arsis vis sola sufficiebat. Vocis *rĕlicuus* prima syllaba in arsi bis a Lucretio producitur, I. 561., IV. 977.:

Nunquam id rēlicuo reparari tempore posset.
Rēlicuas tamen esse vias in mente patenteis.

Virgilius Aen. I. 30.:

Rēliquias Danaûm atque immitis Achilli.

Terentius Phorm. prolog. 22.:

Quod ab illo allatumst, sibi esse id rēlatum putet.

Sed idem in thesi fieri posse nego, quanquam Lucretii versum II. 1001.:

Id rursum coeli rēlatum templa receptant —

sanum esse concedo; namque haec primae syllabae productio inde explicanda est, quod verbum illud interdum *rellatum*

et scriberent (cf. Gruteri *Inscript.* p. 206. n. 1.), et pronunciarent.

Syllabae natura brevis ante *m* in arsi productae luculentum exemplum praebet Catulli versus V. 10.:

Dein, quum millia multa fecerimus,

Plautus Persa IV. 6, 3.:

Cruminam hanc emere aut facere, ut remigrat domum.

Sed ubi syllaba brevis ante *m* posita thesis locum occupat, produci nequit; recte igitur Lucretius IV. 254. 306. scripsit:

Tam procul esse magis res quaeque remota videtur.

Inde tamen, quamvis torte penitusque remota,

Inde certo consequitur, eundem scriptorem verbum *remotus* prima producta numquam admisisse. Recte igitur Wakefieldius in versu IV. 289.:

Distare a speculo tantum semota videntur —

quum ante eum *remota* legeretur, ex omnibus libris *semota* rescripsit. Itaque in versu IV. 271.:

Percipe: nam certe penitus semota videtur —

ubi vulgo *remota* legitur, scribendum est *semota*, id quod exhibent editiones Ald. 1. 2., Bononiensis, Iuntina. Itidem in versu V. 579.:

Nam prius omnia, quae longe semota tuemur —

scriptura *semota* libris satis munita est. Nihil moror Donatum, qui ad Terentianae Hecyrae prolog. II. 14.:

Prope iam remotum iniuria adversarium —

scripsit: *geminavit m secundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant.* Donatus igitur hunc versum falso ita dimensus est:

Propĕ iam rēmotum iniuria adversarium

ac propterea scripsisse Terentium *remmotum* opinabatur.

Idem quum breves syllabas aliquoties in arsi produci ante liquidas repperisset, continuo veram rei rationem ignorans ab antiquis liquidas semper geminari inconsiderate pronunciavit. Idem Lucretius arsis ope dixit *glomere* I. 361.

Syllabarum brevium ante liquidam *n* in arsi productarum rara sunt exempla; sed apud Plautum ubi legitur *inaudire* prima producta, equidem arsis vim agnoscere, quam cum Bothio aliisque formam *indaudire* invitis codicibus Plauto importune obtrudere malo duabus de causis, primum, quia demonstrari nequit, cum verbo *audire* obsoletam praepositionem *indu* unquam coniunctam fuisse; deinde, quod eadem syllaba in thesi posita ab eodem Plauto corripitur. Productae primae syllabae atque in arsi positae exempla reperiuntur Aulular. II. 2, 88.:

Credo ego illum iam inaudisse mihi esse thesaurum domi.

Mostellaria III. 1, 11.:

Metuo, ne de hac re quippiam inaudiverit.

Mil. gl. II. 2, 58., II. 5, 32.:

Nam os columnatum poetae esse inaudivi barbaro.
Hic sororem esse inaudivi: eam veni quaesitum. —
Mala es.

Idem verbum ubi in thesi ponitur, eius prima continuo, ut par est, corripitur, veluti in Plauti Mercatore V. 2, 100. et 103.:

Rogito, quis eam vexerit, quis habeat, si ibi inaudiverit.
Nil mentitus est. — Sed de amica sese inaudisse autumat.

Conf. Terentius Phormione V. 6, 37.:

Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam —
immo etiam dabo.

Syllabae brevis ante litteram r in arsi productae exemplum suppeditat Ennius apud Ciceronem Tusculan. I. 44, 105.

Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Idem apud Varronem *de lingua Lat.* IX. p. 178. ed. Bipont. sive X. p. 583. ed. Spengel.

Hectoris natum de muro iactarier.

Conf. *Accentus doctr.* p. 46. Praeter semivocales litterae *c* talis est natura, ut in pronunciando duplicari facile possit; ideoque syllaba brevis in arsi posita ante eam aliquando producitur. Itaque Lucretius III. 503. prima in verbo *vacillans* pro longa usus est:

Tum quasi vacillans primum consurgit et omneis.

Quam quidem licentiam in thesi neque admisit, neque admittere ex artis lege potuit, quamvis in arsi etiam ante alias consonantes syllabas breves producere non dubitaverit, veluti V. 1094.

Fulgere, quom coeli donavit plaga vapores.

Haec facilitas, qua inter pronunciandum littera *c* duplicari poterat, effecit, ut verbi *recidere* prima syllaba in omnibus poetarum locis in arsi producta reperiatur (cf. Schneider. *Elementis l. L.* I. 2. p. 586.), nisi hoc cum Buttmanno ita explicare velimus, ut Romanos *reccidere* scripsisse, idque ex *red* et *cado* ortum esse statuamus: quae quidem sententia proposita est in Schneideri *Elementis* I. 2. p. 595.—601. Sed id ipsum, quo praecipue illa explicatio nititur, Romanos videlicet scripsisse *reccidi*, *repperi*, *reppuli*, *rettudi*, *rettuli*, omnino ab hac causa excludendum ac longe aliter explicandum est: nam haec eiecta vocali *e* orta sunt ex *rececidi*, *repeperi*, *repepuli*, *retetudi*, *retetuli*. Cur

Idem quum breves syllabas aliquoties in arsi produci ante liquidas repperisset, continuo veram rei rationem ignorans ab antiquis liquidas semper geminari inconsiderate pronunciavit. Idem Lucretius arsis ope dixit *glomere* I. 361.

Syllabarum brevium ante liquidam *n* in arsi productarum rara sunt exempla; sed apud Plautum ubi legitur *inaudire* prima producta, equidem arsis vim agnoscere, quam cum Bothio aliisque formam *indaudire* invitis codicibus Plauto importune obtrudere malo duabus de causis, primum, quia demonstrari nequit, cum verbo *audire* obsoletam praepositionem *indu* unquam coniunctam fuisse; deinde, quod eadem syllaba in thesi posita ab eodem Plauto corripitur. Productae primae syllabae atque in arsi positae exempla reperiuntur Aulular. II. 2, 88.:

Credo ego illum iam inaudisse mihi esse thesaurum domi.

Mostellaria III. 1, 11.:

Metuo, ne de hac re quippiam inaudiverit.

Mil. gl. II. 2, 58., II. 5, 32.:

Nam os columnatum poetae esse inaudivi barbaro.

Hic sororem esse inaudivi: eam veni quaesitum. — Mala es.

Idem verbum ubi in thesi ponitur, eius prima continuo, ut par est, corripitur, veluti in Plauti Mercatore V. 2, 100. et 103.:

Rogito, quis eam vexerit, quis habeat, si ibi inaudiverit.

Nil mentitus est. — Sed de amica sese inaudisse autumat.

Conf. Terentius Phormione V. 6, 37.:

Atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam — immo etiam dabo.

Syllabae brevis ante litteram *r* in arsi productae exemplum suppeditat Ennius apud Ciceronem Tusculan. I. 44, 105.

Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Idem apud Varronem *de lingua Lat.* IX. p. 178. ed. Bipont. sive X. p. 583. ed. Spengel.

Hectoris natum de muro iactarier.

Conf. *Accentus doctr.* p. 46. Praeter semivocales litterae *c* talis est natura, ut in pronunciando duplicari facile possit, ideoque syllaba brevis in arsi posita ante eam aliquando producitur. Itaque Lucretius III. 503. prima in verbo *vacillans* pro longa usus est:

Tum quasi vacillans primum consurgit et omneis.

Quam quidem licentiam in thesi neque admisit, neque admittere ex artis lege potuit, quamvis in arsi etiam ante alias consonantes syllabas breves producere non dubitaverit, veluti V. 1094.

Fulgere, quom coeli donavit plaga vapores.

Haec facilitas, qua inter pronunciandum littera *c* duplicari poterat, effecit, ut verbi *recidere* prima syllaba in omnibus poetarum locis in arsi producta reperiatur (cf. Schneider. *Elementis l. L.* I. 2. p. 586.), nisi hoc cum Buttmanno ita explicare velimus, ut Romanos *reccidere* scripsisse, idque ex *red* et *cado* ortum esse statuamus: quae quidem sententia proposita est in Schneideri *Elementis* I. 2. p. 595.—601. Sed id ipsum, quo praecipue illa explicatio nititur, Romanos videlicet scripsisse *reccidi, repperi, reppuli, rettudi, rettuli,* omnino ab hac causa excludendum ac longe aliter explicandum est; nam haec eiecta vocali *e* orta sunt ex *rececidi, repeperi, repepuli, retetudi, retetuli.* Cur

littera e in hisce verborum formis extrusa sit, explicavi in *Accentus doctrina* p. 27. Inde apparet causa, cur in veterum monumentis nunquam *repperio*, *rettundo*, *repperiebam*, *reppellam* sive scripta sive a poetis prima producta unquam admissa inveniantur, at fere semper *repperi*, *rettuleram*, *rettulerim*, quo de conf. Schneider. I. I. p. 586. 589, 592—594.

Ante litteram *t* vocalem brevem epici poetae in arsi aliquoties produxerunt, sed in iis tantum vocabulis, quae sine hac venia hexametris includi non poterant, veluti *dederitis*, *transieritis*, *contigeritis*. Ennius apud Cic. *de off.* I. 12, 38.:

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.

Ovidius *Metam.* VI. 357. *ex Ponto* IV. 5, 6. et 16.:

Accepisse simul vitam dederitis in unda.
Et maris Ionii transieritis aquas.
Consulis, ut limen contigeritis, erit.

Talibus exemplis quum nonnulli ex antiquis grammaticis se decipi paterentur, alii penultimam futuri in plurali numero, ut *dederimus* et *dederitis*, *monuerimus* et *monueritis*, semper produci, alii et produci et corripi falso docuerunt. Conf. Diomedes I. p. 331. Valerius Probus I. p. 1413. Agroetius p. 2267.

Altera illa condicio, qua syllaba brevis in arsi posita produci potest, postulat, ut post arsin versus caesura aut diaeresis cadat, qua temporis particula syllabae ipsi deficiens compensetur. Quod quum fieri nequeat, nisi verbum etiam finiatur, ultimis tantummodo verborum syllabis accidere posse, ut sic producantur, sponte apparet. Sed haec quoque licentia tunc fere admittitur, quum vocabula in

consonantes *r*, *s*, *t* desinunt: nam hae litterae inter pronunciandum facile in finibus verborum duplicantur. Exempla ordine apponam [50]. Syllabae breves in *r* desinentes in arsi productae reperiuntur apud cuiusvis generis poetas, rarius tamen apud scenicos, quam in versibus epicorum, qui longarum syllabarum penuria saepiuscule premuntur. Plautus Milite gl. II, 3, 42.:

Sceledre, Sceledre. — Quis homo interminat? — Est alter audacior?

Vulgo post alter *te* legitur, sed id neque apparet in editione Princ., Mediol., Parm., neque in codice Suritano. Idem Bacchidibus I. 2, 15.:

I, stultior es barbaro Potitio.

Captivis III. 3, 15.:

Nec copia, nisi si aliquam corde machinor astutiam.

Rudente IV. 3, 87.:

Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

Aulularia IV. 10, 49.:

Meus fuit pater Antimachus, ego vocor Lyconides.

Lucretius III. 21. V. 1257.:

Cana cadens violat; semper innubilus aether.

Nec minumam ex agris moerorr is in urbem.

Catullus LXII. 4. C. 6.:

Iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus.

Perfecta exigitur unica amicitia.

Tibullus I. 10, 13.:

Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis.

50) Plurima exemplorum, quae iam afferuntur, quum alii congesserunt, tum C. L. Schneider *Elementis linguae Lat.* I. 2. p. 745 — 759.

littera *s* in hisce verborum formis extrusa sit, explicavi in *Accentus doctrina* p. 27. Inde apparet causa, cur in veterum monumentis nunquam *repperio, rettundo, repperiebam, reppellam* sive scripta sive a poetis prima producta unquam admissa inveniantur, at fere semper *repperi, rettuleram, rettulerim*, quo de conf. Schneider. I. I. p. 586. 589, 592 — 594.

Ante litteram *t* vocalem brevem epici poetae in arsi aliquoties produxerunt, sed in iis tantum vocabulis, quae sine hac venia hexametris includi non poterant, veluti *dederitis, transieritis, contigeritis*, Ennius apud Cic. *de off.* I. 12, 38.:

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.

Ovidius *Metam.* VI. 357. *ex Ponto* IV. 5, 6. et 16.:

Accepisse simul vitam dederitis in unda,

Et maris Ionii transieritis aquas.

Consulis, ut limen contigeritis, erit.

Talibus exemplis quum nonnulli ex antiquis grammaticis se decipi paterentur, alii penultimam futuri in plurali numero, ut *dederimus* et *dederitis, monuerimus* et *monueritis*, semper produci, alii et produci et corripi falso docuerunt. Conf. Diomedes I. p. 331. Valerius Probus I. p. 1413. Agroetius p. 2267.

Altera illa condicio, qua syllaba brevis in arsi posita produci potest, postulat, ut post arsin versus caesura aut diaeresis cadat, qua temporis particula syllabae ipsi deficiens compensatur. Quod quum fieri nequeat, nisi verbum etiam finiatur, ultimis tantummodo verborum syllabis accidere posse, ut sic producantur, sponte apparet. Sed haec quoque licentia tunc fere admittitur, quum vocabula in

consonantes *r*, *s*, *t* desinunt: nam hae litterae inter pronunciandum facile in finibus verborum duplicantur. Exempla ordine apponam[50]. Syllabae breves in *r* desinentes in arsi productae reperiuntur apud cuiusvis generis poetas, rarius tamen apud scenicos, quam in versibus epicorum, qui longarum syllabarum penuria saepiuscule premuntur.

Plautus Milite gl. II, 3, 42.:

Sceledre, Sceledre. — Quis homo interminat? — Est alter audacior?

Vulgo post alter *te* legitur, sed id neque apparet in editione Princ., Mediol., Parm., neque in codice Suritano.

Idem Bacchidibus I. 2, 15.:

I, stultior es barbaro Potitio.

Captivis III, 3, 15.:

Nec copia, nisi si aliquam corde machinor astutiam.

Rudente IV, 3, 87.:

Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

Aulularia IV, 10, 49.:

Meus fuit pater Antimachus, ego vocor Lyconides.

Lucretius III. 21. V. 1257.:

Cana cadens violat; semper innubilus aether.

Nec minumam ex agris moeror is in urbem.

Catullus LXII, 4. C. 6.:

Iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus.

Perfecta exigitur unica amicitia.

Tibullus I. 10, 13.:

Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis.

---

50) Plurima exemplorum, quae iam afferuntur, quum alii congesserunt, tum C. L. Schneider *Elementis linguae Lat.* I. 2. p. 745 — 759.

Virgilius Eclog. IX. 66.:

Desine plura puer, et quod nunc instat agamus.

Conf. idem Eclog. X. 69. Aen. V. 521. XI. 323. 469. XII. 13. Ovidius Metam. VII. 61.:

Et illis cara ferar et vertice sidera tangam.

Syllabae brevis ante consonantem finalem *s* in arsi productae exempla suppeditant plurima poetae epici ac lyrici, veluti Catullus LXVI. 11.:

Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo.

Tibullus II. 1, 58.:

Dux pecoris hircus auxerat hircus oves.

Falsa de hoc versu comminiscitur Schneider l. l. p. 750. Conf. idem Tibullus II. 2, 5. Virgilius Aen. I. 478. IV. 64.:

Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Conf. idem Eclog. VI. 53. Georg. II. 5. Aen. IX. 610. X. 720. XI. 69. 111. Ovidius Metam. X. 98. II. 247.:

Et bicolor myrtus et baccis caerula tinus.

Mygdoniusque Melas et Taenarius Eurotas.

Conf. idem Metam. XIV. 250. XV. 634. Horatius Carm. III. 23, 3. IV. 7, 20. et 21.:

Si thure placaris et horna.

Quae dederis animo.

Quum semel occideris, et de te splendida Minos.

Haec ipsa, quam in Horatii versibus ter productam modo agnovimus, secunda futuri exacti persona quum etiam in Statii Silv. IV. 7, 46. IV. 9, 51. in arsi producta reperiatur, C. L. Schneider cum Seyferto aliam eius rei causam sibi excogitavit; frustra. Conf. Schneider. l. l. p. 749. 751. Ante litteram *t* syllabae in arsi productae reperiuntur in

plurimis poetarum cuiusvis generis locis. Plautus Captivis prolog. 9. III. 5, 88.:

Eumque hinc profugiens vendidit in Alide.

Nam mihi propter te hoc obtigit. — Abducite.

Idem Curculione V. 2, 44.:

Cleobula — nutrix quae fuit? — Archestrata.

Milite gl. II. 2, 60.:

Euge, euscheme hercle astitit, et dulice et comoedice.

Mercatore III. 4, 63. IV. 2, 5.:

Cur istuc coeptas consilium? — Quia enim me afflictat amor.

Solet hortator remiges hortarier.

Terentius Adelphis prolog. v. 25.:

Poëtae ad scribendum augeat industriam.

Hecyra III. 5, 13.:

Quicquid est id, quod reliquit, profuit. — Immo obfuit.

Phormione prolog. 9.:

Quodsi intellegeret, quum stetit olim nova.

Temere hunc versum sollicitavit Bentleius.

Lucretius II. 27.:

Nec domus argento fulget auroque renidet.

Catullus LXIV. 20.:

Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos.

Virgilius Aen. X. 394.:

Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis.

Conf. idem Aen. I. 308. V. 853. Ovidius Heroid. IX. 141. Metam. IX. 611.:

Semivir occubuit in letifero Eueno.

Non adiit apte, non legit idonea, credo.

Conf. idem Metam. III. 184. IX. 612. ex Ponto I. 3, 74. et 4, 46. Horatius Serm. I. 4, 82. I. 9, 21.:

Qui non defendīt alio culpante, solutos.

Quum gravius dorso subiīt onus. Incipit ille.

Conf. idem Serm. I. 5, 90. II. 1, 82. II. 2, 47. II. 3, 261. Carm. I. 3, 36. II. 6, 14. et 13, 16. III. 16, 26. et 24, 5.

Ab hac tamen causa eas verborum formas, quae ex duplice *i* ante litteram *t* contractae ideoque longa vocali instructae sint, eximendas esse novi grammatici praecipiunt. Conf. Heinsius ad Ovidii Fast. I. 109. C. L. Schneider l. l. p. 746. not. 2. Sed ea in re duplicem errorem notamus. Nam primum ne reperiuntur quidem loci, unde verborum syllabas in *iit* desinentes unquam coaluisse certo consequatur: quae enim eius contractionis exempla reperiri videantur, ea accuratius considerata ultro evanescunt. Quod quo magis appareat, locos illos breviter recognoscam. Lucretius IV. 340.:

E tenebris autem quae sunt in luce tuemur

Propterea, quia, quom propior caliginis aër

Ater inīt oculos prior et possedit apertos,

Insequitur candens confestim lucidus aër.

Quod in hoc loco *init* ex *iniit* natum esse opinantur, id neque sententia neque structura grammatica evincit: nam ut lucidi aeris post atrum oculos continuo occupantis celeritas indicetur, tempore praesente efficitur; neque in consociatione praesentis *abit* et perfecti *possedit* offendere debemus, hoc enim nihil est nisi *occupatos* (oculos) *tenet*, sive Graecum κέκτηται.

Virgilius Aen. IX. 9.:

Aeneas urbe et sociis et classe relicta

Sceptro Palatini sedemque petit Euandri,
Nec satis; extremas Corythi penetravit ad urbes.

Etiam in hoc loco nihil obstat, quominus *petit* tertiam praesentis personam esse statuamus. Nec quicquam prohibet, ne praesens tempus, ad enunciationis vim augendam admissum, agnoscamus apud eundem Virgilium IX. 418.:

Dum trepidant, abit hasta Tago per tempus utrumque —

in quo versu plures libri *iit* exhibent. Idem dictum volo de Iuvenalis locis VI. 295.:

Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Hinc fluxit ad istos.

VI. 559.:

Praecipuus tamen est horum, qui saepius exsul,
Cuius amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit et formidatus Othoni.

X. 111.:

Eloquio sed uterque perit orator; utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.

Quapropter et in his et in aliis locis similibus vocalis brevis productio arsi tribuenda est: hoc vero vel tunc existimare debebimus, quum concedere ultro velimus, coalescere posse tertiae perfecti temporis personae syllabas in *iit* desinentes. Nam in eo cernitur alter ille grammaticorum error, quod ex *abiit abīt*, ex *petiit petīt*, ex *periit perīt* fieri opinantur. At vero ex *petiit petĭt*, ex *periit perĭt* fieri tantummodo potest, ut ex *siet sĭt*, ex *fieit fĭt*, ex *doceit docĕt*. Sed de hoc argumento infra accuratius dicetur.

Ante liquidam *l* vocalem brevem produxit Ovidius Metam. VII. 644. ex Ponto III. 1, 113.:

In superis opis esse nihil. At in aedibus ingens.

Morte nihil opus est, nil Icariotide tela.

Quae omnia quam arcte cum positione cohaereant atque a consonante inter pronunciandum duplicanda excusentur, neminem potest effugere. At vero ubi syllaba verbi in brevem vocalem exeuntis in arsi producitur, id peculiari licentiae tribuendum videtur. Exempla suppeditat Plautus Captivis III. 5, 79.:

Atque hunc me ita velle dicite curarier.

Quod in libro Guelpherbytano legitur *dicito*, id correctori metrico imputandum existimo. Idem Epidico III. 4, 62.:

Potuit; plus iam sum libera quinquennium.

Trinummo I. 2, 186. II. 2, 14.:

Sed nunc rogare ego vicissim te volo.

Quo manus abstineant: cetera rape, trahe, fuge, late.

Utrumque versum Hermannus et Lindemannus coniecturis inutilibus vexarunt. Sed in Milite glor. III. 2, 35.:

Nunquam edepol vidi promere; verum hoc erat —

eiusmodi productionem in ultima verbi *promere* equidem non agnosco cum Hermanno *Epitom. d. m.* p. 38. et Schneidero I. I. p. 755., sed eum versum cum Lindemanno ita lego, ut ultima in *verum* non elidatur. Lucretius V. 720. VI. 695. 722.:

Dimidia ex parte candenti lumine tinctus.

Praeterea magna ex parte mare montis ad eius.

Ille ex aestifera parte venit amnis, ab austro.

Quod in hisce versibus nonnulli libri *parti* exhibent, id a correctore metrico profectum est. Itaque etiam VI. 126.:

Turbine versante magis ac magis undique nubem —

meliorum librorum scriptura *versante* alteri *versanti* prae-

praeferenda est. Vehementer autem errant, qui eiusmodi ablativos tertiae declinationis non tam arsis ope quam natura sua produci arbitrentur: nam falsum hoc esse vel inde apparet, quod illi ablativi in thesi nunquam producti reperiuntur. Eadem ratione peculiarem ac miram productionem in Lucretii versu IV. 346.

Atque patefecit, quas ante obsederat ater —

explicandam iudico: nam *patefecit* inter pronunciandum quasi duo vocabula *pate facit* proferenda sunt. Idem dictum volo de versu VI. 966., ubi *liquefit*, de IV. 996., ubi *expergefacteique*. Conf. Catullus LXIV. 361. XC. 6. Calpurnius Eclog. I. 35. Cicero *de natura deor.* II. 42, 107.:

Huic non una modo caput ornans stella relucet. 51)

Tibullus I. 7, 61.:

Te canit agricola, magna quum venerit urbe.

In nonnullis editionibus ante *magna* interponitur *e*, quod meliores libri ignorant. Virgilius Aen. III. 464.:

---

51) Ultimam adverbii *modo* natura sua apud antiquos poetas saepius produci, error est, quem introduxit Chr. Wasius *de senario* p. 225. et 226., quemque latius propagavit C. L. Schneider l. l. p. 708. not. et 754. Eius productionis exempla afferuntur ex Plauto haecce: Asinar. prolog. 5. Captiv. II. 3, 98. Mostellar. IV. 3, 2. Mercat. V. 2, 34.

Age nunc reside cave modo ne gratiis.
Ad fratrem modo captivos alios inviso meos.
Non equidem in Aegyptum hinc modo vectus fui.
Huc secundus ventus nunc est, cape modo vorsoriam.

Sed idem vocabulum quum in locis fere innumeris ultima correpta apud eundem Plautum reperiatur, in hisce paucis versibus productio soli arsi haud dubie tribuenda est. Idem de Lucilii versu a Wasio allato dicendum esse luculente apparet. Nam vide mihi versum illum

Modo sursum modo deorsum tanquam collus cernui.

Sed dies me deficiat, si plurimos Wasii errores perstringere velim.

Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto.

De huius versus scripturae integritate temere dubitavit Schneider l. l. p. 753. Horatius Serm. I. 3, 7.:

Usque ad mala citaret io Bacche modo summa.

Ovidius Arte am. I. 511.:

Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit.

Statius Theb. IV. 224. XII. 303.:

Quos Pylos et dubiis Malea vitata carinis.

Inachis Argia cernis qua nocte vagetur.

Apud poetas epicos haec producendi ratio saepissime invenitur in verbis, quae desinunt in vocülam *que*, ita tamen, ut *que* in primam secundi dactyli syllabam cadat, veluti apud Virgilium Aeneide III. 91.:

Liminaque laurusque dei, totusque moveri.

Alia exempla collegit C. L. Schneider l. l. p. 752. 753.

Post voces monosyllabas quum versus caesura aut diaeresis nullam fere vim habeat, numerusque continuo decurrat: in hac caesura illam brevium syllabarum productionem non facile admitti posse apparet. Itaque epici in pangendis versibus artis legem religiose servantes, ut Virgilius, Ovidius, Horatius, sedulo ab ea sibi caverunt. Scenicis autem, ut Plauto, hanc veniam non omnino abrogaverim: nonnulla enim huius productionis exempla ultra omnem dubitationem posita videntur, veluti Plaut. Captiv. prolog. v. 25.:

Ut fit in bello capitur alter filius.

Ita hic versus legitur in omnibus libris et antiquis editionibus. Nonnulli ex novis editoribus temere scripserunt *uti*. Falso etiam Lindemannus *fit* natura sua produci existimavit. Ibid. III. 4, 87.:

Sed hoc primum me expungare, tibi volo, me insaniam.

De huius versus integritate perperam dubitaverunt C. L. Schneider l. l. p. 759. Lindemannus in sua Captivorum editione. Stich. IV, 2, 31.

Per hanc tibi caenam incoenato, Gelasime, esse hodie licet.

Mire C. L. Schneider l. l. p. 665. 730. pronunciandum praecipit *p'r hanc*, quasi etiam nullius syllabae vocabula inveniantur. Amphitr. prolog. 125.

Qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum.

Quod I. Camerarius coniecit *abivit*, id a Plantina dicendi consuetudine abhorret. Milit. gl. II, 2, 87. (89.)

Ut, si illic concrepuerit, sit adversum militem.

Dousa et Reizius *siet* scribendum coniecerunt, sed perraro forma non contracta admittitur, ubi haec vox non est verbum substantivum, sed auxiliare. Etiam Iuvenalis versus IX. 118.

Vivendum recte est, quum propter plurima, tum his
Praecipue causis —

pro incorrupto habendus videtur: nam quod editores nonnulli coniecerunt *tunc* aut *de his*, prius non est Latinum, alterum propter verborum collocationem reprobandum. Fateor tamen mihi versus 118 — 125. suppositicios videri.

In thesi vocalem brevem nunquam produci, facile apparet: nam hanc veniam si admisissent poetae Latini, omne brevium syllabarum ac longarum discrimen sublatum erat. Eo accedit, quod in thesi, in qua numeri cursus sedatior incedit, brevis syllaba inter pronunciandum ita efferri nequit, ut producatur. Sed diligenter cavendum est, ne licentiam quandam, in quarto versus heroici pede perraro

quidem, sed tamen aliquoties admissam, hac ratione explicandam putemus: Res haec est. Versus heroicus a prima origine duabus ex partibus constabat, quarum prior hoc numero decurrebat –́⏑⏑–⏑⏑–́⏑⏑–⏑⏑, cui tanquam epodus accinebatur pars altera –́⏑⏑–⏑. Antiquissimis igitur temporibus quum post quartum pedem numerus finiretur, eum pedem trochaeo compleri sufficiebat. Sed postea quum utraque pars artius iungeretur, haec venia in universum quidem sublata, sed aliquando tamen admissa est, veluti ab Homero Il. XI. 36.:

Τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο.

Hunc trochaeum recte restituit Hermannus *Elementis doctr. m.* p. 41. in Odysseae versu III. 293.:

Ἔστι δέ τις λισσὴ αἰπεῖά τε εἰς ἅλα πέτρη.

Semel etiam, ut observavit Hermannus, non in fine vocis ille trochaeus invenitur, Il. V. 487.:

Μήπως ὡς ἀψῖσι λίνου ἁλόντε πανάγρου.

Quo exemplo luculente apparet, non tam propter pausam s. diaeresin in quarto pede trochaeum tolerari, quae Hermanni sententia est, sed explicandam esse hanc veniam ab ea versus heroici indole, quam antiquissimis temporibus obtinuisse modo significavimus. Eandem licentiam aliquando Romanorum poetae epici admiserunt, ut Ennius in primo *Annalium* (apud Cic. *de nat. deor.* I. 48, 107.):

Omnis cura viris, uter esset induperator.

Lucretius I. 11.:

Et reserata viget genitalis aura Favoni.

Vehementer errant, qui haec *esset, genitalis* pronuncianda praecipiunt.

Ex brevibus longae syllabae quomodo in lingua La-

tina oriantur quum adhuc satis expositum sit; quibusdam passionibus (παθήμασι) longae syllabae in breves resolvantur, deinceps explicabimus.

CAP. VI.

DE HIATU.

Ubi desinit unum vocabulum in litteram vocalem alterumque ab ea incipit, impedimentum inde oritur legentis voci molestum, quem hiatum Latini appellaverunt; v. c. *mitte illum, molesta egestas, magno emolumento.* Ad evitandum hoc incommodum ea plerumque ratio inita est, ut vocalis, cui minus esset ponderis, abiiceretur; minoris autem momenti est vocalis, in quam desinit verbum, quam illa, quacum incipit alterum, eaque de causa vocalem finalem fere eiecerunt, ut *mitt' eum, molest' egestas.* Conf. C. L. Schneider l. l. p. 131. 132. Sed nobis hoc loco non id agendum est, ut omnia hiatus genera enumerentur ac describantur, sed quaerendum, quomodo hiatus ope longae vocales in breves resolvantur. Resolvitur autem sive potius resolvi potest vocalis longa in brevem, si prius vocabulum longa vocali concluditur, alterumque a vocali sive longa sive brevi incipit, ut *magno emolumento, ingenti hiatu.* Quod quidem saepius fieri non tam mirum videri debet, quam potius, cur hoc non semper ac sine ulla exceptione factum sit. Nam vocalis longa quum duabus brevibus aequalis sit, in illo vocalium concursu ultima longae syllabae pars s. mora hiatu conficitur, altera restat. Ex-

emplo rem planam faciam. *Me diligis* idem est ac *mee diligis*: itaque *me amas* idem est ac *me amas*; *illo bono* est idem atque *illoo bono*: itaque *illo egregio* idem est atque *illo' egregio*. Tantum igitur abest, ut in *me amas*, *illo egregio* similibusque exemplis hiatus agnosci possit, ut hiatui suum ius plenissime concessum ac tributum sit; neque quicquam differunt illa exempla ab hisce *initi' egregia, fastigi' ad summa*, in quibus nemo hiatum agnoscit. Qua de causa omnes quidem poetae longas syllabas hac ratione correptas admiserunt, sed illi omnium saepissime, qui ut antiquissimi sic etiam proximi ei aetati fuere, qua vocales longae non tam pro una, quam duabus syllabis accipiebantur. Itaque Plautus eiusmodi correptionibus refertissimus est: quod quo magis appareat, exemplorum nubem inde afferre et ab eo ad ceteros poetas transire placet. Amphitr. prolog. 69. 146. I. 1, 35. 37. V. 1, 42.:

Sive qui ambissent palmam histrionibus.
Ea signa nemo horum familiarium.
Qui multa Thebano populo acerba obiecit funera.
Imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume.
Manibus puris, capite operto: ibi continuo contonat.

Asinar. II. 2, 54. 112. III. 1, 14. IV. 1, 14. 33. 34. V. 2, 23. 44.:

Si istam firmitudinem animi obtines, salvi sumus.
Ille est ipsus: iam ego recurro. tu hunc interea hic tene.
Et meam partem loquendi, et tuam trado tibi.
Fores occlusae omnibus sint nisi tibi [52]).

52) Recentiores editores versum interpolantes scripserunt *sient*. Conf. Lingius *de hiatu in versibus Plautinis* p. 11. 12.

Spectandum ne quoi annulum det, neque roget.
Talos ne quoiquam homini admoveat, nisi tibi.
Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit.
Dic, amabo, an foetet anima uxoris tuae. — Nauteam.

Aulular. I. 1, 5. III. 3, 7. IV. 4, 15.:

Nam qua nunc causa extrusisti ex aedibus.
Intro abi; opera huc conducta est vestra, non oratio.
Larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.

In primo versu post *qua* pronomen *me* intrusit Pylades Brixianus. Conf. Lingius I. l. p. 7. In tertio versu quominus legam *Laruae*, impedit sonus ingratus, qui ex vocibus *Laru' hunc* enascitur. Captiv. prolog. 2. II. 1, 2. 50.:

Illi qui astant, hi stant ambo, non sedent.
Decet id pati aequo animo; si id facietis, levior labor erit.
Audio — et propterea saepius te, ut memineris, moneo.

Conf. ibid. II. 2, 13. 81. 87. II. 3, 69. 75. 78. III. 4, 21. 53. III. 5, 24. IV. 2, 27. 44. 66. 81. V. 4, 9. Numeri citati sunt ad Lindemanni editionem minorem. Nonnulli ex locis allatis ab editoribus interpolati sunt. Curcul. I. 1, 41. II. 3, 55.:

Obloquere — fiat maxume — etiam taces.
Quod tibi est, item sibi esse, magnam argenti inopiam.

Casin. I. 1, 46. 49. III. 1, 1.:

Quom mihi illa dicet, mi animule, mi Olympio.
Sine amabo te amari, meus festus dies.
Nunc amici anne inimici sis imago, Alcesime.

Bacchid. I. 2, 32. IV. 4, 1. 10.:

Quom herus hic intus sit et cum amica accubet.

Hunc hominem decet auro expendi, huic decet statuam
statui ex auro.
Nullus frugi esse potest homo, nisi qui et bene et ma-
le [53]) *facere tenet.*

Mostellar. I. 1, 38. I. 2, 73. III. 1, 59.:

Dique omnes perdant, oboluisti allium.
Arte gymnastica, disco, hastis pila.
Cursu, armis, equo [54]).
Iam hercle ego illum nominabo — euge strenue.

Menaech. II. 3, 33. III. 2, 11.:

Nimis miror, quid hoc sit negoti — oboluit marsupium.
Prandi, potavi, scortum accubui, abstuli.

Conf. ibid. II. 3, 80. V. 2, 28. 45. V. 3, 6. Mercat. IV. 4, 5. V. 2, 11.:

Videre, amplecti, osculari, alloqui.
Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger.

Pseudol. I. 1, 24. 42.:

Interpretari alium posse neminem.
Lacrumans titubanti animo, corde et pectore.

De vera versus prioris scriptura conf. Lingius l. l. p. 13. Poen. I. 3, 34. III. 1, 32. 4, 15. V. 2, 8. 81. 3, 19.:

Nam isti quidem hercle orationi Oedipo.
Quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo ederis.
Rem advorsus populi esse leges? — scivimus.
Creta est profecto horunc hominum oratio.
Popularitatis causa — habeo gratiam.

---

53) Pronunciandum est *malfacere*.

54) Versus hic et antecedens numero Cretico decurrit. Admissos hiatus sine causa *plane singulares* appellavit Hermannus *Elementis d. m.* p. 207.

Quom huc advenisti hodie in ipso tempore.

Conf. eiusdem fabulae versus Bacchiacus I. 2, 31.:

Soror cogita, amabo, item nos perhiberi.

Pers. I. 2, 22.:

Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

Trinum. prolog. v. 6. 10. 18.:

Nunc primum igitur quae ego sim et quae illaec siet.
Sed huc quid intro ierit impulsu meo.
Huic nomen Graece est Thesauro fabulae.

Conf. ibid. I. 2, 80. III. 3, 47. IV. 2, 88. 150. IV. 4, 17. Pauciora quidem, sed non rara eiusdem correptionis exempla apud Terentium reperiuntur, veluti Andria I. 2, 20. II. 1, 33.:

Hoc quid sit? — omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.
Reddidisti animum — nunc si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia.

Perperam versum secundum vitii suspectum habuit Bentleius. Conf. Eunuch. I. 2, 60. 113. Heautontim. I. 1, 63. II. 2, 46. IV. 7, 8. Adelph. V. 2, 5. V. 7, 22. Hecyr. V. 3, 32. Quum ex re ipsa, tum ex allatis exemplis apparebit, credo, illum hiatum, quem dicunt, in quovis versuum genere reperiri, itemque nihil attinere, in quo versus loco iste admittatur. Apud epicos idem correptionis genus persaepe invenimus, et quidem in thesi tantummodo propterea, quod heroici versus arsis longam vocalem requirit. Lucretius II. 404. 618. IV. 1057. V. 7. VI. 717. 797.:

At contra, quae amara atque aspera quomque videntur.
Vivam progeniem quei in oras luminis edant.
Nam si abest quod ames, praesto simulacra tamen sunt.

Nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum.
Anni tempore eo, qui Etesiae esse feruntur.
Tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit.

Virgilius Eclog. II. 65. VIII. 108.:

Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Conf. idem Aen. III. 211. V. 261. VI. 507. Ovidius Metam. III. 501. Amor. II. 13, 21. Eadem correptione lyrici saepiuscule utebantur, ut Catullus LV. 4. LVII. 7.:

Te in circo, te in omnibus libellis.
Uno in lectulo, erudituli ambo.

Horatius Epod. V. 100.:

Et Esquilinae alites.

Apud scenicos utrum in thesi an in arsi soluta posita sit haec correptio, nihil attinet. Sed quemadmodum ultimam verbi vocalem brevem licentia quadam in arsi produci interdum ante vidimus, ut *ducitē, fugē, meā*: sic quoque vocalis longa, loco suo correpta, arsis ope produci rursus potest. Itaque artis ratio postulat, ut dicatur (◡ ◡́◡) *ego me | amo*, sed venia quadam poetae etiam concessum est, ut scribat *ego mē | amo* (◡◡ —́ | ◡ —). Plautus Trinum. prolog. 9. I. 2, 8. II. 4, 26. 139.:

Tum mī hanc gnatam esse voluit Inopiam.
Tui benevolentis, sī ita es, ut ego volo.
Quas sponsione nuper 55) *tū exactus es.*
Sues moriuntur anginā acerrume.

Ultimum versum, quem sic scriptum libri omnes et vete-

55) Libri vocabulum inauditum *pronuper* exhibent, quo de conf. Lindemannus in sua Trinummi editione minori.

res editiones exhibent: propter rei ignorationem editores recentiores perperam immutarunt. Idem Plautus Captiv. I, 1, 3.:

Nullast spes iuventutis[56]); *sese omnes amant.*

Qui scribunt *sesed*, vitium non modo non tollunt, sed novo eoque turpissimo versum integrum corrumpunt. Neque versum ex huius comoediae prologo decimum:

Patri huiusce; iam hoc tenetis optumumst —

vitii suspectum habeo cum Boscha, editore Captivorum, et Schneidero *Elementis ling. Lat.* I. 1. p. 151. Saepius intervallo sententiarum vel personarum mutatione haec productio adiuvatur, ut in Plauti Epidico I. 1, 3.:

Respice vero, Thesprio — oh, Epidicumne ego conspicor?

Mercatore I. 2, 71. II. 2, 13.:

Qui potuit videre? — oculis. — quo pacto? — hiantibus.

Salve. O quid agis? quid fit? — quod miserrumus.

Pseudolo IV. 7, 125.:

Viginti minae — atque etiam mi aliae viginti minae.

Talia ad illam veniam excusandam accommodata sunt quidem, sed non utique necessaria. Itaque in Terentii versu, Adelph. V. 6 (8), 24.:

Quid nunc? quid restat? — Hegio his[57]) *est cognatus proxumus* —

Bentleii, scribentis *hic est his*, coniectura facile carebimus. In secunda adeo pedum Creticorum arsi quanquam adme-

---

56) Pronunciandum est *iuntutis*, ut *iunior* pro *iuvenior*.

57) Bentleii libri *Hegio est his* exhibent.

dum levi haec productio admissa invenitur, ut in Plauti Mostellaria I. 4, 24. I. 2, 56. Rudente IV. 3, 12.:

Iam revortar, diu est iam id mihi.
Perdidi operam fabrorum illico oppido.
Sed boni consili ecquid in te mihi est.

Conf. Hermannus *Elem. d. m.* p. 207. Etiam in prima pedum Bacchiacorum arsi longae vocalis ante aliam vocalem productio interdum admittitur, ut a Plauto in Trinummo II. 1, 8 (5).:

Amorin' an rei obsequi potius par sit.

In versuum dactylicorum arsi nihil hac productione frequentius est. Conf. Virg. Eclog. II. 24. III. 6. VII. 53. Georg. I. 221.:

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Et succus pecori et lac subducitur agnis.
Stant et iuniperi et castaneae hirsutae.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.

Ovidius Heroid. VIII. 71. ex Ponto II. 4, 22. (in medio pentametro):

Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci.
Quantus in Aeacide Actorideque fuit.

Exempla plurima congessit Wasius *de senario* cap. 4. Conf. Heinsius ad Claudian. XXIV. 167. C. L. Schneider l. l. p. 105. 149. Quae omnia si recte exposita sunt a nobis, longae vocalis positae ante alius vocis vocalem correptionem primitivum et omnium antiquissimum hiatus evitandi modum fuisse inde consequitur. Quapropter non mirandum est, tot eius vestigia et quasi reliquias apud omnes poetas reperiri. Altera illa ac vulgaris ratio, qua eiecta tota vocali longa hiatus evitatur, ut *aur' huic* pro *auro*

huic, *frug' esse* pro *frugi esse*, quamvis iam apud antiquissimos poetas reperiatur, nihilominus tamen alteri illi generi antiquitate cedere videatur.

CAP. VII.

DE VOCALI ANTE EIUSDEM VERBI VOCALEM POSITA.

Idem hiatus evitandi studium, quod in capite antecedente agnovimus, vocales longas in medio vocabulo ante vocales positas in breves semper resolvit, h. e. posterior longae vocalis pars hiatus evitandi gratia elisione conficitur, prior restat. Exemplo rem illustrabo. *Sē-vorsum* aequale est *see-vorsum*; inde autem coniunctis in unum verbum elementis atque hiatu per elisionem vitato existit *sĕorsum*. Eadem de causa ex *dē-vorsum* fit *dĕorsum*, ex *dē-inde dĕinde*, ex *dē-hinc dĕhinc*, ex *dē-hisco dĕhisco*, ex *dē-osculor dĕosculor*, ex *prō-avus prŏavus*, ex *intrā-eo intrŏeo*. Conf. C. L. Schneider *Elementis linguae Lat.* I. 1. p. 101. 102. Ex diphthongis praepositio *prae* hac ratione saepe corripitur, ut *praĕustus*, *praĕire*. Iam intellectu perfacilis est notissima illa regula, vocalem ante vocalem brevem esse. Nam sicubi in eodem verbo duae vocales duas syllabas efficientes reperiuntur, eo ipso, quod syllabae istae non coaluerunt, apparet, earum vocales fere semper primitivas esse ac nulla mistione ortas, h. e. *breves*. At ubi vocalis longa, h. e. iam semel composita, ante vocalem

Cinna est Gaius, is sibi paravit.

Nec vero in vulgari hominum sermone vocalis *i* unquam corripiebatur in genitivis *unius*, *ullius*, *nullius*, *solius*, *totius*, *utrius*, *ipsius*, *illius*: sed poetis etiam in hisce vocibus, quum illa pronunciationis lege adiuvarentur, vocalem corripere licuit, nisi quod *alius* et *solius* a nemine admissa reperiuntur. Contra semper *alterius* et in vulgari sermone et ab epicis dicebatur; apud scenicos etiam *alterius* invenitur, ut apud Terentium Andria IV. 1, 4. in versu Cretico:

Alterius sua ut comparent commoda.

Verbi *fio* prior vocalis longa est, sicubi vocalis *e* cum ea coaluit, ut in *fio*, quod natum est ex *fieo*: itidem *fis* ex *fieis*, *fiebam* ex *fieebam* ortum est. Illud *e* ubi cum antecedente *i* non coaluit, ibi vocalis *i*, ut par erat, corripitur, veluti *fierem*, *fieri*. Itaque hasce formas, utpote ex *fieerem* et *fieeri* ortas, non pronunciari *fierem* et *fieri*, ut pronunciantur, sed proferri *fierem* et *fieri* exspectares: sed ita illae detortae sunt, quasi forma primitiva *fio* ac non *fieo* fuerit; aut accentus retrahendi studium vocalem *e* contractam ex longa brevem fecit.

Nominis *Diana* prima syllaba, utpote contractione orta ex *dea Jana*, vulgo producitur. Sed longa haec vocalis quum illa pronunciandi lege ante vocalem rursus resolvi in brevem possit, idem nomen interdum prima correpta invenitur, ut apud Virgilium Aeneide XI. 652.:

Aureus ex humero sonat arcus et arma Dianae —

apud Horatium Epodis V. 51.:

Nox et Diana, quae silentium regis.

In voce *eheu* quod semper, in *ohe* quod saepiuscule prior

prior vocalis producitur, ita explicandum videtur, ut priorem ac posteriorem verbi particulam quodam vocis intervallo prolatam esse statuamus. Praeterea nonnulla vocabula e Graecis non a prima linguae origine, sed serius in Latina illata excipi ab hac lege notum est: nam in Graecis Graeca prosodia dominatur. Conf. C. L. Schneider l. l. I. 1. p. 98. 99.

CAP. VIIII.

DE CORREPTIONE SYLLABARUM FINALIUM.

Ex litteris consonantibus nonnullae natura tam acuta praeditae sunt, tamque celeriter et quasi abrupte in fine verborum pronunciantur, ut vocales quamvis longae ante eas consonantes in vocabuli fine positae in breves resolvantur. In earum litterarum numero primum referimus consonantem *d*. Inde apparet, cur ex particula inseparabili *sē* adiecto *d* paragogico fiat *sĕd*; apparet etiam, cur quum ex Graeco ὅς et ἥ Latinum *quī* et *quāe* nascatur, ex Graeco tamen ὅ Latinum *quŏd* oriatur. Haec itaque consonans siquando in antiquissimis monumentis reperiatur nominibus in longam vocalem exeuntibus adiecta, eam vocalem continuo correptam fuisse existimandum est, veluti *marī* et *marĭd*, *altō* et *altŏd*, *in pugnā* et *in pugnăd*, *mē* et *mĕd*, *tē* et *tĕd*. Hoc si probe considerassent aut cognitum habuissent Plauti editores, profecto non tam multis

vocabulis eam litteram importune adiungere animum isti unquam induxissent. De hac litterae *d* in vocum finibus positae corripiendi facultate si quis propter exemplorum paucitatem dubitaverit, is velim reputet secum huius consonantis vim nihil fere differre a littera *t*, cui quidem eandem potestatem certissime mox vindicabimus. Diphthongum tamen neutra harum consonantium valet corripere: itaque sive *haud* sive *haut* scribitur, haec vox semper intra duas moras profertur.

Sequitur littera *l* eadem corripiendi potestate praedita. Ea de causa dicitur *anĭmal*, *vectigăl*, quamvis vocalem *a* origine sua longam esse ex genitivo *animālis* et *vectigālis* pateat. Itaque in aperto est ratio, cur *nihĭl* fiat ex *ne hilum*. *Sōl* tamen et *sāl* producta vocali proferuntur, sive quod in vocibus monosyllabis minus valebat illa consonantis ultimae potestas, sive quod haec ipsa nomina ex plenioribus formis decurtata sunt.

Late diffusa est per linguam Latinam ea consonantis *m* potestas, qua vocalis a prima sua origine longa in verborum fine ante hanc litteram posita corripitur, quamque agnoverunt antiqui grammatici, ut Priscianus VII. p. 781. sive ex Krehlii editione t. II. p. 354. 355. disputans de quinta declinatione: *accusativus a nominativo fit mutata s̄ in m̄, et necessario correpta ē. Nunquam enim ante m̄ terminalem longa invenitur vocalis, ut hunc meridiem, hanc rem.* De quo ut certius constet, vocalium longarum ante *m* correptarum exempla ad classes quasdam disposita proponam. Corripiuntur autem numeri pluralis genitivi in *um* contractum et tamen correptum desinentes. Primae declinationis exempla sint *Aeneadŭm*, *Cecropidŭm*,

agricolŭm, caelicolŭm, drachmŭm, amphorŭm. Hanc terminationem ortam esse ex concretis syllabis *-arum* falso nonnulli opinantur; nec quicquam dixisse putandi sunt qui eandem ex Graecorum genitivo in — ῶν desinentem explicandam existimant [59]. Res ita se habet: genitivus primae declinationis pluralis ad analogiam grammaticam conformatus exit in *aüm*, ut *agricolaüm*, *amphoraüm*. Sed in his evitandus erat hiatus Latinorum auribus incommodus, id quod fiebat aut interposita littera *r*, ut *agricolarum*, *amphorarum*, aut syllabis contractis, ut *agricolum*, *amphorum*. Ultima igitur syllaba propter originem longa erat, sed eadem propter acutam consonantis *m* naturam corripitur, quemadmodum ex *siem* non *sīm*, sed *sĭm* oritur. Errant itaque satis pueriliter qui scribunt *agricolûm*, *amphorûm*. Secundae declinationis casus genitivus numeri pluralis ad analogiam grammaticam conformatus exit in *-uum* sive potius *-oum*, ut *nummoum*, *talentoum*: sed hiatus duplici modo vitabatur, aut interposita littera *r*, ut *nummorum*, *talentorum*, aut syllabis contractis ac rursus propter finalem litteram correptis, ut *nummŭm*, *talentŭm*. In quartae declinationis nominibus illa contractio a poetis interdum admittitur, ut *currum* pro *curruum* a Virgilio Aen. VI. 653., *passum* pro *passuum* a Martiali II. 5, 3. Priscianus quidem eiusmodi genitivos *per syncopam prolatos* appellat lib. VII. p. 779., brevi vocali, puto, ad id statuendum inductus: sed haec sententia aliorum exemplorum analogia refutatur. Non minus saepe in verborum finibus

59) Cuiusvis linguae formae primum per se spectatae deducendae et constituendae sunt: tum etiam linguarum comparatio potest institui.

syllaba contracta sequente *m* in brevem resolvitur, et primum quidem in verbo substantivo. Namque ex *siem* contractis syllabis fit *sim*, quam formam non esse ortam eiecta vocali *e* certo ostendit pluralis numeri forma, quae est *simus*, contracta ex *siemus*. Eadem ratione ex *possiem* fit *possim*, at ex *possiemus possimus*. Etiam in temporis imperfecti forma *essem* vocalem postremam per se spectatam longam esse et pluralis numerus *essemus* et Graecum εἴην luculente ostendunt. Idem dici potest de omnium verborum prima persona modi subiunctivi temporis praesentis et imperfecti. Pronunciamus enim *amem*, sed semper *amemus*, *amarem* et *amaremus*, *doceam* et *doceamus*, *docerem* et *doceremus*, *legam* et *legamus*, *legerem* et *legeremus*, *audiam* et *audiamus*, *audirem* et *audiremus*. Apparet igitur, cur particula *num* correpte proferatur, quamvis non diversa sit a Graeca voce μῶν.

In consonante *n* ista corripiendi facultas nonnisi tunc agnoscitur, quum ea ex particula *ne* decurtata vocis fini adhaesit. Itaque ex *nemo* et *ne* fit *nemon*, ex *Pyrrhi* et *ne Pyrrhin*, *Eunucho* et *ne Eunuchon*. Formas *Pyrrhin* et *Eunuchon* atque similes corripi quamvis certis exemplis demonstrari nequeat, quia vocalem *e* prorsus oblitteratam esse tunc tantummodo patet, quum sequitur in versibus consonans, ut *Pyrrhin castra*, tamen ex analogia vocis *nemon*, ac praecipue ex harum formarum ratione, ut *iubes* et *iuben*, *audis* et *audin*, *novisti* et *novistin*, apparet, quid de illis nominum propriorum casibus statuendum sit. Exempla collegit C. L. Schneider *Elementis ling. Lat.* I. 1. p. 175—178.

Littera *r* nullam corripiendi vim habet in vocibus mo-

nosyllabis, ut in *pār*, *fūr*, aliis, sed habet in multis nominibus plus quam unam syllabam continentibus, ut in *Hectŏr* (Ἕκτωϱ), *Nestŏr* (Νέστωϱ). Etiam in nominibus *sorŏr*, *amŏr* vocalem a prima origine longam fuisse, ex genitivis *sorōris* et *amōris* patet.

Ante consonantem *t* in fine vocum positam longae vocales omnes corripiuntur. Ea de causa ex *siet* nascitur *sĭt*, quod contractione, non syncopa, ortum esse ostendit analogia formarum *sītis* (sietis) et *sīs* (sies). Itaque non mirabimur, cur, quum *essēs* (εἴης) et *essētis* (εἴητε) dicamus, semper tamen *essĕt* proferamus. Haec autem litterae *t* vis tanta est, ut ante eam ne syllaba quidem ex tribus concreta produci possit. Nam quum *fīo* natum sit ex *fieo*, *fĭt* ortum est ex *fieït*, et nihilominus corripitur. Dicimus igitur *amās*, quod haec forma contracta est ex *amaïs*, eademque de causa *amātis*, sed semper *amăt*, quanquam hoc ex *amaït* concretum esse apparet. Similis ratio est in *docēs* et *docĕt*, in *audīs* et *audĭt*.

Ex hac oris linguaeque Latinorum indole explicandum existimo id, in quo accentus vim alii agnoscere voluerunt. Nimirum in Plauti versibus ante litteras consonas *concêde*, *secêde*, *abîte*, alia, nonnisi penultima producta reperiuntur, sed eadem vocabula posita ante vocales saepiuscule correpta penultima proferuntur, ut *concĕdo huc, secĕde illuc, abĭte istuc*. Utriusque quantitatis exempla suppeditat Plautus Captivis II. 1, 21 — 27., quos versus Cretico numero decurrentes et ad rem illustrandam aptissimos huc transcribimus:

Fíat abscēdíte hinc; nós concēdámus huc.

Pag. 5, 12. lege τῆς

— 8, 6. — *susemit*

— 8, 30. — accedat

— 9, 24. — *flêmus*

Not. 13, 3. — ī

Pag. 39, 14. tolle *aêquitâtis.*

